SYLLOGE
OPUSCULORUM SELECTORUM

AD PRAXIM PRAECIPUE MEDICAM
SPECTANTIUM

In Auditorum commodum collegit, annotationibus hinc inde auxit, & recudi curavit

CIVIS
VALERIANUS ALOYSIUS BRERA M. D.
In Ticinensi Archigymnasio Medicinae Professor Emeritus, & variar. Academ. Sodalis

VOL. III.

TICINI ANNO VII. R. (1799. V. M.).
APUD HAEREDES PETRI GALEATII.

PRAEFATIO.

Nonnullas delegi hoc in Volumine recudendas Commentationes argumenti maxime quidem Philosophiae, Medicinae, & Praxi proprii, aliis Artis medendi disciplinis communis, ac nostrorum temporum philosophandi, & observandi genio consentanei, cui vel igitur obtemperandum esse iudicavi, ne forte laudandam eius hac in re diligentiam non satis aestimare, viderer.

Iam BRUNONIS *doctrina Italiae Medicis pervulgata omnium Philosophorum adsensum obtinuit. Nunc* DARWINII *systema considerandum remanet, quod, quum Italis proprio sermone non-*

dum exhibitum ſit (*a*), *excerptis examinare oportet*; *qua de re* YOUNGII de corporis humani viribus conservatricibus *opusculum optimo conſilio in tertio huius Sylloges volumine recudi curavi*, *ut breves ex* DARWINII *doctrina notiones habeantur*.

(*a*) DARWINII *opus brevi temporis spatio italico etiam sermone imprimetur sub titulo*: Zoonomia, oſſia dottrina delle leggi della vita organica, dilucidata da *Erasmo* DARWIN, Autore del Poema il Giardino Botanico; traduzione illuſtrata dal Traduttore, ed arricchita colle aggiunte del Conſigl. BRANDIS ec. Tomi quattro. Pavia 4to con Tavole colorite.

OPUSCULUM I.

VINCENTII MALACARNE

Theor. & Pract. Chirurgiae Pub. Primar. Profess. in Archigymn. Patavino &c.

De febre carbunculosa,

DEQUE

Carbone bovillo

DISCEPTATIONES

ACADEMICAE BINAE

IN EODEM ARCHIGYMNASIO ANNO MDCCXCVII HABITAE.

In gravioribus, nunquam satis dicitur
Quod nunquam satis discitur.

DISCEPTATIO PRIMA.

Introductio.

Qui fit, Auditores Optimi, ut inter tot, tantosque Viros, qui *de venenis* egerunt ex professo; quin immo inter illos, qui *de veneno animantium naturali, & acquisito*, mo-

nita, & observationes evulgarunt, ne quidem alter hactenus *de carbone bovillo*, perniciosissima, subdola, heu! nimium frequenti veneni specie, satis apud Italos diligentem susceperit pertractationem? Dum Medicina, cum Chirurgia parente, summum fastigium produntur attigisse; dum Hominum doctissimorum elucubrationibus, & assidui studii monumentis, utramque adeo comperimus illustratam, ut quo amplius progrediantur iam fere non habeat; dum de raris morbis aeque certatim scriptitatur, ac de vulgatissimis, crambem fere semper recoquendo; & si quid primo aspectu novi affertur in medium, hoc opinionum commenti potius prospicit hodie tenaciter propugnata, cras levissimo negotio obliviscenda, quam aliquid experimentis & observationibus indagatum, repertum ingenio, expolitum industria, cedat in aegrotorum emolumentum: dum rura nostra depopulantur a morbo, ita ut post exitium totale pecudum, nobis metipsis grave discrimen incumbat; dum haec tanti momenti urgent, increpant, ubique offenduntur, labis immanissimae natura, caussae, vires, curationis tutioris ratio a nobis negligentur? Adeone turpiter humani, armentorumque generis iactura patietur? Non est, hercle, ferendum, A. O., & si plerique silent, alte resonent nostra verba, parati, quum fuerit

opus nos praestare, ut etiam opera late progredi pro modulo nostro intueantur.

De venenis in universum satis superque dictum est ab ipsis incunabulis artis medendi: de veneno animantium post immortalem REDI plurimos habemus scriptores; inter quos primas merito tenent *Dominicus* BROGIANI Florentinus, & Magister olim amantissimus meus *Ambrosius* BERTRANDI Taurinus, quos facile credendum esset de *carbone bovillo* rem habuisse omnibus numeris absolutam: attamen BROGIANIUS ne verbum quidem hac de re posteritati transmisit. BERTRANDI autem, qui sibi duplicem aditum aperuerat ad hoc argumentum, pro doctrina, & eruditione, quibus ingenter pollebat, enucleandum, in opere *de vulneribus*, ubi agit *de venenatis*; tum in illo de *tumoribus*, articulo de *carbunculo*, *bovilli* nullam fecit mentionem; quod certe venenum, quamplurimis inter deteriora non profecto laevius, vigecuplo aliis omnibus seorsim sumptis est crebrius, & id aut bubus innatum, aut per bubuli cruoris, vel lymphae aspersionem, ab aliis animalibus facile contrahendum.

Qui fit, inquam, ut de hoc ex professo agentem neminem reperiamus, praeter clariss. *Dominicum* BATTINIUM in Archig. Senensi Pub. Medicinam profitentem, *Michaelem* IE-

MINAM a Monteregali Cisalpinum (*a*), & per transennam vix tertium.

Istud eo factum cognoscetis, *Artemina*, quod res agitur in bovilibus, incultos apud ruricolas, & colonos illiteratos. Quae de *carbone bovillo* inde hauriuntur rudium Veterinariorum figmentis adnumerantur; & huiusce morbi phaenomena nonnihil a consuetis aliena, & inusitata, vulgus ignarum animo praeiudiciis & erroribus popularibus imbuto, modo praestigiis daemonum, fascino, strigibus, & magicis artibus tribuit, modo quae sunt naturae nimis religiose adscribit irae divinae, ac inevitabili fato falsa veris interserendo.

Cultioribus autem, & Medicis ipsis facile quoque videri potuerunt extra fidem, quum abnormia sint aliquot morbi symptomata a bubulcis relata, uti quae a veterinariis nonnullis exponuntur. Caeterum ipsa res argumentis nimium evidentibus innititur, & praeclara testimonia satis superque incredulos quoscumque convincent, ne poenitendum nobis unquam

(*a*) *De Pleuritide*. Monteregali 1789 in 12. Hoc opus quum vix apud reliquos Italos innotuerit medicis, & veterinariis eruditionibus ignotum omnino sit quidquid de *carbone bovillo* ibidem continetur, operae pretium duximus hac data occasione memorare, & quae praestantiora complectitur in publicam utilitatem revocare.

ſit de seria animadverſione circa morbum adeo neglectum, etſi a Chirurgis ipſis, ne dicam a Mulomedicis, maximi faciendum.

In hanc solliciti semper fuimus; & notiones huc spectantes a bubum cuſtodibus, a ruſticis, a Veterinariis diligenter collegimus, neque ullas admiſimus, niſi a teſtibus fide dignis acquiſitas. Non aspernandam observationum, & experimentorum supellectilem nobis comparavimus; & ruri, in ſtabulis, morbi cauſſas, effectus, progreſſum, & remediorum exitus prosequuti, ubi res minus prospere cesserunt, ulcerum exteriorum degenerationes; *carbunculorum* intimam ſtructuram; saniei, ichoris, pneumatisque, morbi cauſſas coniunctas conſtituentium indolem, examini iterum, iterumque subiecimus; cadaverum interiora ſive sana, ſive corrupta, sedulo inſpeximus, quoad nobis licuit, & periculo graviſſimo imminendi, vacavit.

Inde nonnulla ex illis ad Anatomen comparatam attinentibus dimanarunt, quorum specimina vulgavimus in ACTIS. SOCIETATUM VERONENSIS, & MANTUANAE, alibique; grata fortaſſis, & accepta Veterinariis, a quibus & nos plurima expectamus, quum Noſtrates, & Insubres, & Cisalpini conterranei mei, tanta cum ingenii laude Mulomedicinam colant, perspicuitate doceant,

scriptis eruditissimis ornent, ac pretiosis augeant inventis.

Concedite igitur, o Boni Viri, procedenti ad explicanda hoc anni scholastici curriculo, quae ad tumores, ad ulcera, vulnera, operationesque chirurgicas praecipuas spectant, concedite quaeso vobis, exhiberi descriptionem contagiosi morbi a veneno animantis domestici frequentissime oriundi, primum in ipso bove, cui est peculiaris, tum in homine a bove *carbunculoso* labem suscipiente. Utrumque satis Chirurgo dignum argumentum! Quin imo quis non fatebitur indignam esse Chirurgo rei tanti momenti ignorationem? Si *carbunculus bovillus* armenta sola, vel ipsam tantum bubulam speciem laederet, humanus Chirurgorum animus ab hacce colonum immani calamitate adeo potenter afficeretur, ut nil intentatum relinqueret, quod ipsorum aerumnis posset opitulari: neque Chirurgum traderet bubulcos, & Veterinarios, agendas res, operationesque in bove infirmo perficiendas vel docere, vel ab iis edoceri. Verum a *carbunculo bovillo* inficiuntur heu! quam frequenter! coloni, bubulci, Mulomedici: morbus contagiosus per pagos, & urbes, dira perniciitate in populum saevire potest, sicuti nonnunquam saevisse compertum est! Non potius igitur pudebit nos tunc temporis ea turpiter ignorasse, quae

ad hanc luem dignoscendam, arcendam, curandam attinent? Nonne praedictorum imbui doctrina hisce tempestatibus calamitosis opportunum?

Tamen antequam opus aggrediamur, Vos monitos cupio, A. Optimi, luem hanc a clar. Doct. IEMINA *carbonum bovillum* (a) nuncupatum fuisse eadem prorsus ratione, qua saevissima rabies vocatur *canina*. Illa enim praeter canes, feles etiam, & sues, & lupos, & equos, & aves ipsas nonnullas sponte torquetur, *canina* tamen dicitur. Haec mulis, equis, & praesertim ovibus, aliisque brutis ingeneratur aliquando: verum ob frequentissimum ortum suum in bubus, & consequentem inde crebriorem in aliis animantibus propagationem sub specie *carbunculi*, *carbo* iure merito *bovillus* laudato experientissimo Viro visa fuit appellanda, ut aliis commodius discriminaretur.

Tam rationes originis, & curationis, & exitus vel metuendi, vel sperandi prosequamur, ut SUMMO favente NUMINE con-

(a) Loc. cit. ubi videantur argumenta, & observationes, quibus innititur ad opinionem suam roborandam de specifica *veneni carbunculosi bovilli* qualitate a caeteris venenis aliena.

gruenter, & honeſte, munere nobis a clementia SERENISSIMI PRINCIPIS impoſito fungamur docendo Vos, Adolescentes Ingenui, rationes conferentes ad avertendam, & ad debellandam luem, a qua noſtra minitantur, ſi adhuc non deſtruuntur, armenta. Quod autem attinet ad curandos *carbunculos* a bubus in humanam speciem transfusos, hoc illud in tempus diſtrahendum videtur, quo annualium disceptationum scholaſticarum ordo huius argumenti dilucidationem poſtulabit.

Interea, ne ab eiusdem amplitudine obruamur, & quae magis inculcanda sunt, ne summis tantum labiis delibentur, duplici sermone veſtram humanitatem exercebo, quorum alter semeioticen, ac symptomatologiam morbi complectetur, & quaedam de carnium, & sanguinis infecti noxis exponet; alter circa rationes versabitur labis tum praecavendae, tum penitus appoſitis curationis methodis eliminandae.

I. *Morbi Semeiotices*.

Carbonis Bovilli semeiotices in bove ipso haec observanti perfrequenter solet exhibere:

1. Aeſtivorum menſium diebus calidioribus, ut plurimum, quandoque vero (sed infrequentius) aliis anni tempeſtatibus, poſt

flatus australes, boves utriusque sexus, praesertim pinguiores, torosiores, iuvenci spes potissima colonum, absque caussa manifesta, repente corripiuntur a morbo, in pascuis, in stabulis, quiescentes, laborantes, iter facientes, indiscriminatim.

2. Cornua frigescunt.

3. Aures demittuntur.

4. Arrectis, hirtisque pilis modo toto corpore, modo tergore tantum, modo natibus, vel femoribus tremere incipiunt.

5. A pastu, a ruminatione cessant.

6. Mox febriunt pulsu irregulari, fortioris cito tamen debilitando; tussi rara, non valida.

7. Calor ingens accenditur per universum corpus, per armos, per aures; & a naribus, a faucibus egrediens anhelitus, vere igneus admotis manibus esse videtur.

8. Pulsus fit vehementissimus, velocissimus, adeo ut iuvencus ille, cui arteriae pasturales, iugulares, maxillares posteriores, duodequadragesies ad summum sexagesima quaque horae parte micabant, dum sanus erat; correptus a morbo, septuaginta, octoginta, centenas pulsationes eodem temporis intervallo exhibeat digitis exploratoribus Veterinarii.

9. Oculi splendidiores evadunt, prominent, ardent, non sine flagrantium lacrymarum expressione.

10. Sitis urget inexplebilis.

11. Mugitus cientur frequentes anhelosi.

12. Irrequietum, & anxium animal stratum unguibus petit, & submovet.

13. Modo procurabit humi bos, modo se se gemebundus attollere conatur.

14. Modo nutat capite inclinato; modo arrigit illud; & elevato rictu immotus perstat, adeo defixus, ut nonnullis omnino verberibus ad motum adigi possit.

15. Lingua haeret palato, nec lambit foenum, quod antea gratissimum habebat in deliciis, neque ipsam deglutit salivam: hinc ora spuma redundant tenaciori.

16. Maxillae simul colliduntur prae convulsionibus, cum dentium crepitatione, atque stridore, & ad mordendum proclivitate.

17. Evacuationes ex alvo, & vesica vel supprimuntur, vel cum sanguine deiiciuntur.

18. Tandem pulsus debilitatur, & intermittit adeo, ut arteriae inertes feriari videantur sola cordis actione superstite: huius enim visceris arietatio in costas non manu tantum ibidem admota, sed visu, & auditu etiam percipiuntur.

19. Extinguitur calor.

20. Labescunt vires, & sensus hebetantur.

21. Respiratio fit anhelosa, & interrupta.

22. Motus denique omnes cum vita de-

ficiunt: citius, serius pereunt paucarum interdum horarum intervallo, ac si de coelo tacti essent boves, inopinatam iacturam dolentibus, & immanitatem, celeritatemque morbi obstupescentibus colonis.

II. *Nominis varietas, & varietatis ratio.*

Quomodo igitur (insurget aliquis dicens *carbonis* nomine distingui velles morbum huncce bubum, in cuius prosopopoeia tumoris, inflammationis cuiuscumque cutaneae, aut subcutaneae, ne verbum quidem fecisti?

Nonnulla profecto animalia hoc morbo correpta citius occumbere consueverunt, quam tumor ullus corporis exteriorem ambitum potuerit deturpare. Ideo tunc labes ab illo symptomate, quod magis eminet, nomen suscepit, ac suscipere perget, quin minus a *carbunculoso* principio dimanet. Inde nomina
Febris maligna;
Morbus magnus, apud Cisalpinos
Il Malasso;
Lien magnus, vulgo
Milza grossa;
Mictus cruentus, vulgo
Pisciasangue;
Angina, quibusdam
Mal di gola, sive *Gandioni*;

Cinanche, vulgo
Scaranzia;
Cancer volans, a Cisalpinis
Carbon volante, aliisque audit
Cancro volante;
Carbo linguae, nonnullis
Gloſſantrace, &c.

Ergo ſimilium induit perſonam, & nomine inſignitur; donec vel a tumore cutaneo *carbonis* contagioſa natura pateſiat, & *carbunculus* ipſe eſchara, nigredine, rubro-violaceo colore, ardore, calore intolerabili, & hydatidibus ichore plenis manifeſte revelatur, vel tandem prodet cadaverum inſpectione.

III. *Ratio nominis etiam e cadaverum examine diligentiori deſumpta.*

In cadaveribus enim bubum hac lue denatorum, quibus in ſuperficie corporis exteriori nullus erat tumor, detegi conſuevit hic, vel illic, inflatio, in altero, ſive altero viſcere, cum livoribus, aut ecchymoſi, ſeu aliis certis gangraenae notis; tum ſanguinis atri effuſiones in cavitatibus, & viſcerum interſtitiis. Eodem pacto vidimus corrupta omentum, meſenteria, lienem, hoc eſt nigro ſanguine farcta, maculis gangraenoſis inquinata. Veſiculam felleam ter, aliquando quater con-

sueta capacitate ampliorem, nigerrima bile amurcosa tumentem. Alibi venerunt in conspectum *carbunculi* parenchymata pulmonum, hepatis, renum, vel substantiam ipsam pleurae, peritonaei, ventriculorum, intestinorum corrumpentes, foedissimo, foetentissimo ulcere pertundentes. Unde cognovimus celeritatem mortis proportionale fuisse praestantiae viscerum atro *carbunculo* notatorum.

IV. *Carbunculorum distinctio in species.*

Quamplurimi boves tumorem peculiarem extrinsecus proferunt, vel ab ipso morbi initio, qui eiusdem universalis morbi symptomata praecedit; vel hunc iam inchoatum ab aliquot horis subsequitur. Hinc naturalis illa distinctio *carbunculorum* in *exteriores*, & *internos*; eorumque singulorum in *primarios*, a quibus morbus primitus inchoatur, vel in *secundarios*, qui morbum incoeptum subsequuntur.

V. *Carbunculorum moles.*

Carbunculi moles in ambitu corporis bubuli modo ovo gallinaceo comparanda est, modo capiti humano; nec raro ad ampliorem extenditur vel subito vel sensim. Aliquando altus est basi angusta; aliquando planior &

latior: hic solus: hic multiplex; & quando multiplex tunc minor.

VI. *Sedes, & forma.*

Interdum vix, ac ne vix quidem elevat integumenta coriacea bovis, ast in celluloso textu, in carne, intra musculos profundissime, amplissime delitescens, extenditur; & modo pectus afficit, modo cervicem, paleare, tergora, & alias regiones trunci, & abdominis: modo oritur in armum, quem tunc animal suspendit tanquam tripode insistens, claudicat dum progreditur, & tactum refugit ingemiscens.

VII. *Semeiotices in bubus infirmis continuatio.*

Inter praecipua signa *carbunculi* cutanei, vel subcutanei, solent recenseri calor, dolor, inflammatio, quorum augmentum celerrimum est. Quum status morbi momentaneus sit, illico scena mutatur: calori nempe frigus marmoreum succedit; dolori torpor, & insensibilitas; inflammationi gangraena cum emphysemate. Tunc pars tumida contrectata crepitat, & chartam pergamenam confricare putares si ad sonitum, quem inde elicis, attenderes.

Eadem crepitatio percipitur, cum agitur de examine *carbunculi* non extuberantis, nempe absconditi in celluloso textu: hunc enim explorando reperimus modo superficie tenus, modo profundius, durum, globosum, circumscriptum, ab emphysemate vallatum, partibus circumpositis haerentem.

VIII. *Etiologia morbi*.

Sub digitis Mulomedicorum, sive coloni, corium *carbunculo* proximum palpitat, intremiscit; quod tribuendum caeteris videtur panniculi carnosi, tantum (quo donantur quadrupedes, & aves) irritationi, aut subsilientibus aliquando musculis subterpositis.

Nos autem & exuberanti ibidem vaporis expansilis copiae & anomalae exsultationi. Hos motus irregulares, inconsuetos dum observant rustici, *carbunculum* putant repere sub corio, & mirabundi iurarent, morbum talpae, vel alius animalis terram fodientis ad instar, per carnes reptare. Nec huiusmodi opinio videbitur omnino ridenda consideranti quam subito, & celeriter insignem in amplitudinem extenditur *carbunculus*; adeo per longum tractum excurrit, adeo profunda petit brevissimo temporis intervallo, adeo vasa lymphatica tum sanguinea, tum & cellulosum textum fulminea velut explosione, distenduntur.

Ad morbi localis instituendam curationem secta morbida pars cum sibilo quodam statim concidit, paullulum effundit sanguinis arsi, & adusti: centrum, seu venter apertus, aeque ac proximae circumstantes carnes emphysematicae nigrescunt: quo infecta colore videntur etiam periosteum, & os, & ipsa in centris ossium vacuis abscondita medulla. Tanta quidem, tamque deleteria, caustica facultate pollet haec horrida lues non aliunde profecta, quam a fulminea vaporis expansilis animales modo concentratione, mox explosione repetenda. Cur nam igitur non semper adeo infensum cernitur venenum membris ipsum admittentibus, nec adeo praeceps est actio morbi? Nos enim nonnumquam aliquot hebdomadis superstes est, luique resistit, donec alimenta respuens omnimode, macie conficitur; vel meteorismo, & emphysemate immaniter turgidus succumbit. Vaporis expansilis concentratio omnibus in individuis adeo prompte concentrari posse, vel adeo fulminea explosione bacchari vetat idiosincrasia, & prohibent nonnulla Physiologis nota, hic non enumeranda.

VIII. *In cadaveribus eorum observata.*

Enecati a *carbunculo* boves plerumque vastius toto corpore intumescunt; extentis cru-

ribus

ribus divaricatis pulsati resonant ita, ut rem vere non minus quam eleganter explicarit *Caecilius* SEVERUS (*a*), quum de bubus peste morientibus cecinerit:

„ *Inflantur tumida corpora ventis*
„ *Tenso crura rigent pede* "

cuius phaenomeni quaedam imago nostris obiicitur oculis a lanione pecora buccis insufflante, pertuso corio, quo facilius a subterposita carne seiungat.

In bubum dissectorum cadaveribus arterias videres turgidas cruore inspissato, coagulato; secus in venis, quae frequenter laticem sanguineum semifluidum continent: utrobique vero atrum, infami facultate pollentem communicandi labem & ipsis hominibus, dummodo guttula eiusdem nuda quaecumque pars corporis nostri, vel unico temporis momento laeviter aspergatur.

(*a*) In Aegloga, in Bibliotheca Patrum evulgata, de Morbis Cornigerorum Animalium pestiferis, egit hic Poeta, cuius carminum fragmenta nonnulla supersunt. Estne idem SEVERUS, de quo pluries meminit AETIUS?

IX. *Carbonis contagium, seu diffusio.*

Hoc profecto quammaxime dolendum, A. H.! sed alia supersunt aegerrimo animo ferenda huic morbo consueta! Non in uno tantum, vel altero bove consistit! Saepe saepius caeteros laboris, aut stabuli socios adoritur, nec parcit convivis, nec contubernalibus; imo totam perdit etsi numerosum armentum quadrupedes autem omnes in eodem conclavi, & cornigeri, & lanigeri, sues item, & equi, & asini, & muli, eodem morbo corripiuntur, modo ocius, modo serius: quid plura? Non bestias solas commorantes, verum & mortuis, vel expulsis, & ablegatis subrogatas, stabulo diligentissime non purgato, in ablegatorum sive mortuorum bubum loco suffectas, plures etiam post dies adductas, morbum contraxisse observavimus, & eiusdem infelices victimas stitisse.

X. *Carnium carbunculosarum usus nefarii vituperatio, & proscriptio.*

Attamen (miserabile dictu!) non defuere agricolae, & laniones, & nebulones alii de fece plebis, qui avulso bubus, & aliis pecudibus hoc morbo peremptis, corio, at-

que dempta portione membri a tumore ipso foedata, reliquum carnium, & viscerum venundare sunt ausi, & viciniae infimo pretio largiri; quae inde secure, in praesentiarum etiam, clam comedi solent data occasione, Magistratuum auctoritati, legumque sanctarum interdicto nefarie obsistentibus iis, qui corium eximunt, aeque ac laniones, & qui carnibus huiusmodi epulantur. Quum hae colore, ac sapore, sanis similes videantur, quum olfactu suaves experiantur, & palato sapidae, plerique recentissima utuntur eadem substantia; alii exsiccant, condiunt sale, & in posterum tempus reponunt; alii farciminibus ipsam destinant velut innocuam: nec desunt exempla heluonum, qui non semel, sed iterum, inde opipare pasti, vix ullum incommodum pertulerunt. A quo tamen abusu, quum innocentia inconstans sit, quum ex impudenti fiducia in summum vitae discrimen homines adducantur, quum a solis carnis bubum infectorum tactu, scissione, lotione, *carbunculus* exitialis ortum duxerit; & ab eiusdem coctae pastu diarrhoeae tormina, colici dolores, putridae febres, ulcera intestina, mors consequuta fuerint; quum leges obsistant, omnino abhorrendum iudicamus, & religiosissime abstinendum.

XI. Carbunculi caussa proxima.

In sanguine bovis infecti, ac potissimum in parte ipsius sanguinis lymphatica, ab excedenti vaporis expansilis corruptione actuosissima venenosa virus *carbunculosum* consistere, nulla pecoris alterius a labe acquisitum, nemo oculatus dubitare poterit, si fides integra sit adhibenda historiis, observationibus, & experimentis clariss. IEMINAE, caeterorumque Cisalpinorum de hac labe scribentium, aeque ac nostris.

Ibidem ergo caussa proxima quaerenda est. Caussa vero antecedens, & remota, a meteororum perturbatorum influxu non deducenda, inter arcana naturae adhuc latere iudicandum, si demas ea, quae a bubilium insalubritate procedunt; *eiusque ignorantiam* cum laudato Medico Monsregalensi *nos fateri magis expedit eam quaerere non desistentes, quam veram tenere praesumentes in errore versari*.

Neque IEMINA is fuit, qui tenaciter haud institisset in caussarum remotarum, & antecedentium indagine, tum proprio marte, tum frequentibus consultationibus habitis cum Veterinariis maiori peritia, & politiori cultura spectatis, cum bubulcis, & colonis ad haec observanda aptioribus: tum examine as-

ſiduo operum ad epizootias pertinentium, & in primis clariſſimor. MORANDI, DUHAMELI, HERMENTII, DROVINI CHABERTI, & caeterorum aetati noſtrae proximiorum, neque diſtat a probabiliſſima ratione ipse, qui proximam arbitratur collocandam in humorum indole bovi propria, solisque phaenomenis ſibi consuetis dignoscendam. Veterum enim mox & neotericorum experimenta circa horum proprietates ab HALLERO collecta adducenda observata oſtendunt in calce huius opusculi a cruoris, & lymphae craſim ab elementorum ea componentium proportione, a nimia vaporis expanſilis, quantitate alterata, mixtioneque mutata, ita vitiari, ut *carbunculosam* proprietatem adipiscantur veneno aemulam, & contagiosam. Ipſius ante IEMINAE opus erit consulendum, ubi an herbivorum animal inſtructum peculiari ad digeſtionem apparatu, ventriculo quadruplici donatum, ruminatione gaudens, vomendi facultate deſtitutum, an (inquit ipse) chylum conficit ex quo sanguis, & lympha dimanant huic obnoxia discraſiae? Omnia diligenter examinat asſiduus auctor, nec a probabilitate diſtaret fatendum, quae inde coniectatur.

XII. *De sanguinis bubuli, & taurini hausti noxis opiniones & observata Veterum.*

Bovillum sanguinem propriis gaudere cruoris moleculis, & lymphae globulis à P. TURRIO, & HEWSONIO forma, & magnitudine singulari observatis, viribus succo gastrico paribus, iisdemque eximiis, rite notarunt VAN-WY, & recentiores in Chimica Magistri, praesertim quando vel ex ipsis cordis bubuli cavitatibus, vel ex aortae trunco, a subclaviis, a carotidibus elicitur. Nec innocentissimum esse hominibus potum ostendunt documenta maiorum, inter quae solidiora liceat aliquot exhibere.

XIII. *Ex* NICANDRO AETOLO.

In Libro enim NICANDRI AETOLI Medici, Poetae, *Clarii* APOLLINIS sacerdotis, in quo *Theriaca*, *Alexipharmaca* describit, ad HERMESIANACTEM dato, haec leguntur. „ Si ex insipientia quispiam, atrum tauri „ sanguinem gustaverit, moerore ingemiscit, „ ut nimio cruciatu tandem conficiatur: quan„ do cordi appropinquans sanguinis illa verno „ tempore abundans, condensatur, ac in me„ dio alvi receptaculo in grumos coagulatur;

„ hinc & meatus spirituum obturantur, & „ halitus intra impletum guttur suffocatur. „ Atqui tractibus & singultibus iste adflictus „ crebro humi, spuma coinquinatus palpitat ". Post haec NICANDER ut antidota huiusce toxici vires infringentia numerat ficuum ramos lacte scatentes, aceto irrigatos, & ad espressionem succi lympha attemperandj compressos, & epotos; coagulos capreae, hinnuli, haedi, vel leporis; nitrum in vino suavi solutum; silphium in liquore cyrenaico; brassicae semen in aceto abundanti; calamum; summitates, vel corticem conizae; semina piperis, vel rubi contrita. „ Hoc enim pacto (inquit) „ congelati taurini sanguinis copiam nullo ne„ gotio disperseris, vel in ventris recepta„ culo consistentes grumos difiiecceris (a).

XIV. *Ex Pedacio* DIOSCORIDE, & PRAXAGORA.

Egit. DIOSCORIDES in opere *De Medicinali Materia* (b) lib. VI. *De Venenis*,

(a) NICANDRI veteris Poetae, & Medici Theriaca, & Alexipharmaca cum scholiis, interprete *Io.* LONICERO, Coloniae opera *Io.* SOTERII, Anno MDXXXI. in 4. pag. 88.

(b) *Pedacii* DIOSCORIDIS Anazarbei De Medi-

quoque modo arceantur, *viteturque*, &c in ipsa libri eiusdem introductione (*a*), memorans venena ab animalibus usurpata, prae aliis *taurinum sanguinem recentem* indicat, de quo capite XXV. haec habet (*b*). „ Tauri recens „ iugulati sanguis epotus spirandi difficultatem „ ſtrangulatumque concitat. Faucium meatus „ cum nervorum diſtentione praecludit. Lin„ gua rubescit. Cruore dentes inficiuntur. „ Quaedam concreti sanguinis veſtigia inter „ eorum commiſſuras reſtant. Quare vomi„ tum vitabimus: sanguinis enim globi per „ extractionem elevati magis ſtomacho incul„ cantur. Dari ergo opus eſt, quae concre„ tum sanguinem discutiunt, & alvum sub„ ducunt. Groſſi lacteo succo turgentes ex „ posca, & nitrum per se se auxiliantur. „ Nec secus coagulum omne cum aceto, & „ laserpitii radice, aut lasere. Itidem & bras-

---

cinali Materia libri quinque. De virulentis animalibus, & venenis, cane rabioso, eorum notis, ac remediis libri quatuor. *Ioanne* RUELLIO Sueſſionenſi interprete. Insuper additae sunt ſtirpium differentiae ex DIOSCORIDE secundum locos communes, opus ad ipsarum plantarum cognitionem admodum conducibile, Auctore *Benedicto* TEXTORIO Segusiano &c. Venetiis per Io. Anton. de Nicolinis de Sabio anno Domini 1538. mense Septemb. 8vo.

(*a*) Charg. 194.

(*b*) Char. 198. versa.

„ ficae semen cinisque ficulneus. Conizae fo-
„ lia cum pipere, & rubi sucus ex aceto.
„ Alvus resolvenda. Servatis fluida per sedem
„ ingeri consueverunt. Stomachum, alvum-
„ que hordeacea farina ex aqua mulsa perun-
„ gere oportet (*a*)".

PRAXAGORAS etiam asseruit (*b*), tauri sanguinem haustum in ventre condensari, adeoque in grumos concerni, & spiritum, & anhelitum suffocante, hominem cogere ad usque mortem.

XV. *Ex* ASCLEPIADE, *&* GALENO, *&* PLUTARCO.

ASCLEPIADES inter venena complexus est huiusmodi sanguinem, utpote qui nonnulla antidota praescripsit illis, a quibus fuerit epotum, ut his verbis a GALENO (*c*) collectis

(*a*) Praeposui editionem Venetam, ex TEXTORIS recensione emendatam, Bononiensi MDXXVI. apud *Cynthium* ACHILLINUM eadem forma, ob minorem errorum colluviem. Praetulissem *Petri Andreae* MATTIOLI traductionem cum suis annotationibus, in quibus nonnulla clarius explicantur; sed malui omnia latina inserere.

(*b*) Vide LONICERI scolia supra citata in NICANDRUM pag. 89.

(*c*) Vid. GALENI omnium operum quintam classem. Venetiis apud Vincentium Valgrisium MDLXII.

intelligitur. „ Taurino sanguine epoto auxi-
„ liatur aceti calidi potio, & vomitus; aut
„ laserpitii obolum, aut semiobolum; aut
„ duos nitri obolos in vino dissolutos; aut
„ caprifici fructum cum aceto tritum dare.
„ Utile etiam erit alvum inanire, & fari-
„ na lupinorum, ac nitro in aceto decoctis
„ oblinere ".

Quid plura quaerimus apud Veteres, ut contestetur facultas venenosa taurini sanguinis? Nonne sufficeret PLUTARCHI testimonium de THEMISTOCLE percelebri illo Atheniensium duce, qui calente adhuc taurino sanguine hausto vitam cum morte sponte commutavit?

XVI. *Ex Guilielmo* DE SALICETO *Placentino*, *&* *Petro* DE ABBANO *Patavino*: *tum ex* *Antonio* GUAYNERIO *Pedemontano*.

Tamen ad medii aevi Auctores procedendo, inter celeberrimos summi Viri, bini tantum pro caeteris omnibus erunt, auctoritate, quorum suffulti recentiores venenosum

fol. De Antidotis lib. II. cap. 7. *Asclepiadis remedia accommodata iis, qui venena ebiberunt, ut ipsemet ad verbum descripsit*. Fol. 157. Lit. E.

esse bubulum sanguinem asserere non destiterunt, *Guilielmus* DE SALICETO (*a*), & *Petrus* DE ABBANO, qui vix Graecorum verba non exscripserunt. Prior enim Libro IV. *de cautela venenosorum*, cap. X. *de fellibus venenosis, & interficientibus, de extremitate animalis, & sanguine, & sudore, & ovis venenosis*, haec promulgavit: „ *Quando quis* „ *bibit sanguinem tauri recentem, incurrit* „ *difficultatem anhelitus, & dolorem in bran-* „ *cis & meri & rubedinem linguae, & ex-* „ *puit frusta sanguinis congelati in denti-* „ *bus, & gingivis; & fit nausea magna* „ *cum angustia; & fit corrosio in lingua* „ *& sic perducit ad praefocationem, & spas-* „ *mum. Cura non fiat vomitu, sed clystere,* „ *& ventris solutio; & specialiter posquam* „ *sumpserit ficus immaturos, & semina cau-* „ *lis, & assam, & baurach, & cinerem li-* „ *gnorum ficuum cum aceto, aut piper cum* „ *aceto, aut aliquot coagulorum cum aceto;* „ *& emplastretur venter cum farina hordei* „ *& aqua decoctionis assae: vel herbae eius*

(*a*) Vid. Opus magistri *Guilielmi* Placentini DE SALICETO in scientia medicinali praticae quod summa curationis & conservationis appellatur, impressum Venetiis Anno Domini M.CCCCLXXXX. die VIII. mensis Maii, Regnante D. *Augustino* BARBADICO inclito Venetiarum Principe. In fol.

„ *solutio fieri debet cum pilulis foetidis*, „ *vel pulvere earum cum melle*, *&* *vino de*- „ *coctionis caulium*, *vel eius seminis* (*a*) ".

Haec ostendunt, GUILIELMUM non parum profecisse ex studio operum GALENI, & quaedam expertum addidisse, & correxisse; nec fuit alienus a iudicando venenoso quocumque alio sanguine, qui in ventriculo concrevisset.

Opinionem suam *Petrus* APONENSIS aperuit ut sequitur: „ Ille, cui in potu datus „ fuerit sanguis bovinus vetus (sic) patie- „ tur mortificationem, & evomet vomitum „ coagulatum, & eius cura est acetum acerri- „ mum calidum, deinde vomitus, deinde the- „ riaca, deinde balneum aquae calidae (*b*) ".

Allatis testimoniis ad saeculum XIII. & ad XIV. spectantibus, ratio, & ordo rerum postulant, ut inquiramus quidnam de sanguine bubulo cogitarent Medici saeculi decimiquinti. Tunc temporis in summo fuerunt honore, & quidem iure meritoque, opera experientissimi Pedemontani *Antonii* GUAYNERII, apud Cisalpinos, qui in Cheriensi Universitate Stu-

(*a*) Loco cit. Capit. XII. de sanguine, & lacte coagulatis in stomacho, & lacte corrupto.

(*b*) *Petri* DE ABBANO, Tractatus de venenis Paduae, Anno Domini MCCCCLXXIII. in 4to cap. LXXII. De sanguine bovino.

diorum educatus, Archiater fuit tum *Sabaudiae Ducum*, *& Montisferrati Marchionum* (*a*), tum Patrum *Concilium Basileense* constituentium, & *Felicis Papae Quinti*, tandem *Philippi Mariae Vicecomitis* Mediolani Ducis & totius Insubriae Domini, eodemque tempore Praxeos primarius in Ticinensi Universitate Professor. GUAYNERIUS igitur in Tractatu *De Venenis* (*b*) cap. X. *de sanguine tauri* differens „ Sanguis tauri, inquit, vel bovis anti-
„ qui, frusta sanguinis expuere facit conge-
„ lati : & dolorem in brancis (idest in bi-
„ furcatione tracheae) & meri (quod est
„ oesophagus) cum rubedine linguae, ac prae-
„ focatione, ac spasmum causans mortem in-
„ ducit. Huius bezear (nempe antidotus)
„ est coagulum leporis cum aceto sumptus
„ (ita); aut semen caulis, vel piper; &
„ etiam sumere acetum fortissimum calidum per se ".

(*a*) De huius Auctoris gestis vide nostra *Monumenta Operum Medicorum & Chirurgorum &c.* Taurini Typis Regiis MDCCLXXXVI. in 4to passim.

(*b*) *Antonii* GUAYNERII Medici Praestantissimi Opus praeclarum ad Praxim maxime necessarium &c. 1534. Lugduni in Bibliotheca *Scipionis* DE GABIANO (Cisalpini) in 4to parvo. Fol. CCLIII. colum. I.

XVII. *Ex Andraea* MATTIOLO, *Zacuto* LUSITANO, & *Iacobo* GREVINO *Sabaudiae Ducissae Archiatro*.

Ne latum quidem unguem discessere hi postremi praelaudati Magistri a veterum doctrina, quam nimis late amplexatam non nihil restrinxerunt recentiores, inter quos unum vel alterum tantum in arenam vocabo, ut compotes sitis, A. O., progressuum materiei medicinalis apud Physicos saeculi XVI.

MATTIOLI elucubrationes in DIOSCORIDEM quis non novit? Hunc igitur audite vulgari sermone differentem in verba iam praecitata *Anasarbaei*; „ Non si può veramente „ dare a bere il sangue del toro, che non „ si conosca essere sangue da chi se lo bee; „ e però non credo, che con esso si possa „ tradire, nè ingannare alcuno; perciocchè „ se non si bee in gran quantità, e così „ caldo, come se n' esce dalle vene, avanti „ che s' apprenda, non può fare egli se non „ poco nocumento: e però concludo, che „ solamente si possono ammazzare col sangue „ del toro coloro, i quali.... cercassero di „ voler volontariamente morire. Il che quan„ do per sorte accadesse, debbono i Me„ dici, che vi fossero chiamati dai Parenti,

„ usare i rimedj, che per ciò scrive DIO-
„ SCORIDE (*a*) “.

Ad quam calentis sanguinis qualitatem attendens *Iacobus* GREVIN Claromontanus, *Margaritae Valesiae Sabaudiae Ducissae* Archiater olim, & Consiliarius, Medicus & Poeta inter Gallos insignis, opinabatur, omnia symptomata sanguini taurino, aut bubulo tributa, locum non habere, cum frigidum, concretum bibant homines; verum esse metuenda quoties in ventriculum solutus descendit ac ibidem figitur, sive concrescit. Plura non aspernanda continentur in GREVINI libro *de Venenis* secundo, cap. X., ubi vetus hoc argumentum satis erudite pertractatur soluta oratione, postquam versa, nec ineleganti, gallice verterat NICANDRI poemata praecitata (*b*).

(*a*) Sei Libri della Materia Medicinale di *Pedacio* DIOSCORIDE Anazarbeo tradotti in lingua volgare Italiana da M. *Pietro Andrea* MATTHIOLO Senese Medico in Vinegia, alla Bottega d'Erasmo, appresso Vincenzo Valgrisi MDLI. in 4to „ Il sesto Libro ec, pag. 74. e 75.

(*b*) Vid. Les Oeuvres de NICANDRE Medecin & Poete Grec, traduites en vers François. Ensemble deux livres des Venins, auxquels il est amplement discouru des bestes venimeuses, theriaques, poisons, & contrepoisons, par *Jacques* GREVIN de Clermont en Beauvoisis, Medecin à Paris. A'Anvers de l'Imprimerie de Christophle Plantin MDLXVII. in 4to.

XX. *Observata nostra*.

Nimius essem si plura documenta referrem de exitiosa proprietate sanguinis bubuli adhuc fluidi, & calentis, ab homine satis magna copia ingesti: nec in diu morabor analysi eiusdem a recentioribus instituta, quam immortales HALLERUS, & *Michael* ROSA exposuerunt passim in maximis suis operibus Physiologicis, ut ostendam hunc revera mortiferum evadere posse, quum vix ab arteriis educatur, adhuc calens, & suo *gas*, seu mavis expansili vapore animali locuples adhibeatur, quandoquidem hunc *sanguinem coctum & sale respersum* venenosissimum lethiferumque evasisse viderit in Villico *Zacutus* LUSITANUS Prax. Med. Admir. Lib. III. Obs. LXXVII.

Tunc epotus larga copia, inclusus in ventriculo, coit; in grumum spongiosissimum, tenacissimum concrescendo palpitat, ebullit, pulsat, redigitur in molem multo ampliorem ea, quae ab eadem sanguinis ipsius mensura, & pon-

= Des theriaques & des contrepoisons de NICANDRE pag. 74., & 75. = Deux livres des Venins, pag. 236., & 237.

& pondere, sub dio compingeretur: ventrem totum exſtendit; hypochondriis, & epigaſtro moleſtiſſimam duritiem plumbeam addit, cum sensu suffocationis, & deglutitionis impedimento, duraturis donec vel actio ventriculi, vel coaguli putrida diſſolutio, a DIOSCORIDE, & a MATTIOLO observata, minitantibus hisce, metuendisque symptomatibus finem imponant, modo vomitu, modo foetidiſſimis alvi copioſis excretionibus, modo cholera, ut nobis experimenta patefecerunt.

Hinc utilitas antidotorum solventium, sed excitantium, & diaphoreticorum a laudatis in Medicina Magiſtris praescriptorum, quae ad ventriculi motus ciendos opportuniſſimae, ad moliendam deſtructionem concreti grumi, & ad fruſtulorum eius optime conferunt eliminationem.

Haec tamen a solutivis oleoſis praeſtari docent experimenta modo adducenda, quibus ansam praebuerant pretioſiſſimae observationes clariſſ. VV. DARWINII, CRAWFORDII, PRIESTLEY, LAVOISIERII & amici mei *Michaelis* ROSAE, ut de vaporis expanſilis viribus certiores evaderemus.

Cani grandiori sanguine bovis sani ab arteria crurali ad hoc parata manante, recentiſſimo, fluido, propriis igniculis omnibus adhuc calente, ventriculum implevimus; haec doſis

maior fuit libris medicis duabus. Binis electis veteribus individuis gallorum pavonum ingluviem tubi infundibiliformis ope violenter inferimus eodem latice recentissimo calente. Mirum quantum male se habuerint haec animalia! Horum postrema singultus, oculorum offuscationes, palpebrarum & colli emphysemata; pallearium, & cristarum expallescentiam; crurum debilitatem, paralysim; incitos conatus ad vomitum; in quodcumque solidum alimentum horrorem; sitim inexplebilem cum deglutiendi summa difficultate, biduo pertulerunt. Prior gallus parvo cruore vividiori, calidiori, prius satiatus, velut apoplecticus, ingluvie a grumo tenacissimo, spongiosissimo expansa, tandem occubuit. Deteriora ferre videbatur ab initio gallus alter, sed post biduum diarrhoea correptus foetidissima, cum frequentissimo putridorum frustulorum vomitu, eaque per triduum adhuc laborans, mortem effugit, male tamen diu se habuit: nec mirum ob incongruentem pabuli naturam! Canis exitus aeque luctuosus non fuit, etsi nunquam bubulum sanguinem antea bibisset: ebrius enim primo videbatur; anhelabat anxius; a singultu & sternutatione, ac si a vapore acerrimo nares titillarentur vexatus, cum frequenti capitis nutatione huc illuc discurrebat. Tertia post haustum sanguinem hora tumidissimo, du-

rissimo ventre prostratus humi, vix non moriens, vomendi conatus inanes ciebat continuos, & frequentes eructationes, & singultus. Aquam appetebat, cuius haustus priores e faucibus, & oesophago, prorumpebant cum flatibus sonoris (a), quin ad ventriculum pervenirent, in quo ebullitionis sensus admota abdomini manu percipiebatur. Quum primum potus retineri coepit, non destitit a bibendo per dimidium horae quadrantem, nisi ad vomendum eandem aquam spumosam cum frustis sanguinis concreti, quae modo pultaceae nigerrima; modo tomentosa rubra, cum laciniis; modo poliposa, & insigniter fibrosa, intus spongiosa; tenaciora maxima difficultate expellebantur: haec postrema subalbescentia. Alternabantur potus, & vomitus, brevissimis intervallis ad quatuor circiter horas; interea binas habuit sedes naturales, nec unquam minxit.

(a) NEEDHAMIUS reperit sanguinis taurini spiritum ex crassamenti libris duabus fuisse ad libram unam, & uncias novem (oper. pag. 420. apud HALLER. de Partium Corpor. Hum. praecipuar. fabrica & functionibus Vol. III. pag. 185.). Sanguis autem a cane ingestus igniculis vitalibus, & suo gas adhuc scatebat cum reliquis ad sanguinem recentissimum attinentibus.

A vomitu cessarunt sternutatio, singultus, & anhelatio; verum perstitit debilitas, nutatio capitis, torpor armorum, & abdominis tensio tympanitica. Abhorruit a cibo, nec amplius sitivit biduo; carnes assas, tostas, iura carnium respuit, butyrum, & oleum avide lambere, & quaerere vidimus, post exhibitum prioris frustulum, guttulas alterius; a lentiori tandem olei usu quattridui spatio restitutus est largius evomens, & putrida per alvum expellendo.

Illud igitur quod habet tum *gasosi* halituosi, tum per moram spongiosi, tenacis, bubulus sanguis, & forsitan exquisitius sanguis tauri, illud, inquam, est ne quod eiusdem laticis famosam, a Veteribus adeo veritam venenositatem constituit? & idem nonne posset *carbunculosi morbi* fons, & origo esse, cui boves praecipue sunt obnoxii?

His dubiis in medium allatis hodiernae disceptationi finem imponimus, ne patientia, & benignitate vestra abutamur; Vos obnixae rogantes, reliquum argumenti enucleaturis exercitatione sequenti, pro ea qua excellitis, humanitate, favere ne dedignemini, cuius beneficii, & honoris nunquam immemorem habebitis me, promptum, paratumque vicissim, sicubi Vobis officia mea poterunt, gratificari.

DISCEPTATIO ALTERA.

Quamvis peculiarium eventuum caussas curiosius inquirere a quibusdam vix utile iudicetur; quia tamen in eo, quod acutioribus ingeniis magis probatur versari, satius est, quam caeterorum indulgere iudicio; hinc est, quod ingeniosus quidam Vir ex ornatiss. Auditoribus praecedentis exercitationis nostrae, in hoc studiorum genere solerter incumbere, mihi blandissime ostendit, & me, non unico exemplo, in eodem exerceri coegit. Quod muneris eandem existimo suscepisse, non tantum ut sibi ipsi viam sterneret; verum ut nos callide provocaret ad ea perquirenda, quae in individualibus etiam naturarum penetralibus delitescunt; quibus, quae accidunt, etsi manifesta sensibus videantur, eorum tamen caussae acutissimorum ingeniorum assiduam saepius effugiunt perquisitionem.

XXI. *Num sanguis quorundam animalium specifica gaudeat proprietate?*

Poſtulavit ille utrum persuaderet a quocumque epoto, generose calido, recentiſſimo sanguine aliorum animalium, eadem phaenomena tum in canibus, tum in gallo-pavonibus eſſe expectanda nec ne.

Ab contextu prioris oratiunculae noſtrae contrariam nos in sententiam versari facile deducendum eſſe respondi: nam summam crasſitiem, summe facilem conglomerationem in moleculis sanguineis bubum prae aliis brutis, nonnullis, quae hanc ob cauſſam iugulata fuerunt, agnovimus, una cum halituosa, facillime, impetuose extricabili *gasosa* ſubſtantia volatili, quam & nobis vaporem expanſilem animalem placuit nuncupari. Huiusmodi autem crasis non reperitur in omnibus animantibus, in quibus examen fuit inſtitutum, quoniam ſingulae species eorum, imo ſingula genera, pro aetatum, & adiunctorum diverſitate, varia gaudent sanguinis conſtitutione, variis, eisdemque peculiaribus effectibus pandenda.

XXII. *Quidnam credendum de felini sanguinis antepileptica virtute?*

Igitur (reposuit ingenuus Vir) animalium ſingulorum sanguis epotus, e ſingulis

speciebus desumptorum virtus, & potentia singularis in haemopotum erit; nec inter commenta revocari debebit assertio eorum, qui, transfusionem sanguinis improbantes, hanc improbarunt potissimum eo quod patiens indueret mores animalis, a quo sanguis transfundendus extrahebatur. Igitur inter aniles fabellas non collocabimus felium vocem imitari, earumque more venari mures ab homine sanguinem a iugulata fele erumpentem, calidissimum bibente, ut a morbo comitiali praeservetur?

Deinde sciscitatus est, utrum apud Auctores fide dignos de huiusmodi sanguinis medicinali facultate, specificaque virtute in morbum adeo vulgarem, & refractarium herculeis remediis, exempla reperirentur?

Memoria extempore nullum suppeditabat praeter CELSI, & *Caelii* AURELIANI, gravissimum nomen Medici, a quo sanguis humanus epilepticis propinaretur; de felino profecto nullum: spopondi tamen hoc me diligenter perquisiturum, & hic fidem solvo, ut quum praesens sit, sibi ipsi gratuletur. Sanguis felinus in epilepsia fautores habuit suos: quin imo adfuit etiam qui miratus sit vix non ridendam metamorphosin morum puellae Breslaviensis, quae ab ingenti pavore inducta in epilepsiam, a vulgari homuncione praescriptum felis recentem sanguinem calidum hauserat. A

sacro morbo liberatam asseruit hanc, de visu testis, *Martinus* WENDRICHIUS, Libro *de. Monstris* cap. XV.; verum per periodos ipsam felium voces imitari coepisse, ac mures venari factus est, quod HALLERO fabulosum videbatur (*a*).

Fortassis epilepsiam curare potuit cati sanguis epotus, quum huic morbo diversorum animalium sanguinem opitulari GALENUS fateretur, atque illum maxime, qui maiori gaudet attenuandi facultate. At felium sanguini vim huiusmodi collatam a natura putarunt Veteres, cum ARETAEO scribente carnes harum comestas epilepsiam discutere, *quod istae admodum calido, & sicco temperamento iudicarentur a natura donatae*.

XXIII. *Aliorum sanguinum vis antepileptica ex Auctoribus priores notae*.

Nec mirum si hactenus empirici, & vulgus, sibi persuasum habuerint ipsum catorum cruorem ad comitiales insultus arcendos mirum in modum esse efficacem, quum plurium aliorum sanguis multo minus attenuans hisce labo-

---

(*a*) De Partium Corporis Hum. praecipuar. fabrica &c. Tom. III. Lib. V. Sect. IV. §. VII. pag. mihi 259. Videas *Excerpta* in calce harum Disceptationum.

rantibus utilis esse praesumeretur. DIOSCORIDES enim ad epilepticos, mustelae non minus, quam testudinis terrestris sanguinem, commendavit. *Caelius* AURELIANUS & ipse testudinis marinae, & vituli marini cruorem, imo & humanum, usurpabat.

In hoc AURELIANO consentiunt praelaudatus ARETAEUS, & CELSUS, & PLINIUS, ex *Septimii* FLORENTIS auctoritate. Accedit quod ARETAEUS vidisse scripserit, nonnullos, nuper iugulati hominis vulneri phialam subiicientes, atque inde manantem cruorem bibisse, & malum malo remedio depulisse; *apud quos*, ait CELSUS, *miserum auxilium miserius malum facit tolerabile*.

Mitius tamen eodem remedio usus est *Alexander* TRALLIANUS, qui ex MOSCHIONE intincti in sanguine gladiatoris, aut cuiuspiam morte multati, panniculi combusti cinerem vino miscebat, epilepticoque propinabat. Vel proprio aegri sanguine a magnis digitis pedum extracto vulnere levi, labia, & frontem infirmi, THEODORI experimenta, & THEOPHANIS NONNII praecepta sequutus, inungebat. Quod remedii genus cum PARACELSUS imitari voluerit, & sanguinis horrorem tollere, stillatitio eiusdem liquore utendum censuit, & distillandi docuit rationem.

Haec sufficient, ni fallor, ad oftendendum nonnumquam ab Auctoribus memoratum fuisse, & a Medicis usurpatum felinum sanguinem, & aliorum animalium (nec homine quidem excepto), quum ageretur de morbo vere herculeo profligando. Haud plura exempla carpsi, ut potuissem, ab operibus *Horatii* AUGENII, *Thomae* BARTHOLINI, *Thomae* BURNETI, *Felicis* PLATERI, & aliorum, in quibus mirabiles a sanguinibus haustis curationes referuntur, a gasosa eorundem, & excitanti qualitate ortas; quorum fidem penes Auctores ipsos lubentissime relinquo, ut ad argumentum orationis nostrae gradum faciamus. Quamvis ab eodem non adeo aliena sint, ac primo intuitu videri potuissent ea, de quibus hactenus locuti sumus, qua in sententia consortes Vos mihi futuros spero, qui benignitate consueta firmatis animum dicentis, & gratam favore fidentiam augetis.

XXIV. *Ex* Alberti HALLERI *operibus constare differentiam sanguinum in plerisque animantibus.*

A praelibatis observationibus, & auctoritatibus evincitur, clarissimos Auctores magnum satis percepisse discrimen sanguines inter quorumcumque animalium; quorum sanguinum seor-

sim sumptorum proprietates varias esse, ratiocinio, & experimentis ostenderunt. Quibus innumera possemus addere desumpta potissimum a maximo HALLERI opere de *Corporis Humani Fabrica* (*a*), significantia quam plurimum & colore, & calore, & vaporibus, & consistentia, & elementorum quantitate, & coagulabilitate distare bubulum a caeterorum animantium cruore; quin eundem parva quantitate exhibitum aliquando utilia in morbis praestasse; nec unquam innocuum fuisse ubi recens, calens largissima dosi propinatus est, immortalis Auctor suspicaretur.

Addendum exhibent huc usque delibata pro varia crasi, & indole sua cruorem bubulum recentissimum diversimode afficere posse cerebrum, & nervos; nempe modo essentialiter *gasosa*, halituosa, & egregie expansili substantia per inhalationis, aeque ac per circulationis vias, ad nerveum, & cerebrale systema penetrando: modo sympatice, seu consensualiter, ventriculi parietes ita extendendo vel copia, vel rarefactione; tum vellicando expansibili, pulsifica, fere ebullienti qualitate, atque spongiositate laedendo, ut memoratum systema in consensum adducatur.

(*a*) Vid. Excerpta ex HALLERO, in calce huius opusculi.

Quae quantum conferant ad explicandas, vel saltem ad coniiciendas caussas phaenomenorum *carbunculosam* bubum labem comitantium, & subsequentium, vestrum esto, A. O., iudicium.

XXV. *In sanguine, & lympha bubum principem qualitatem consistere carbunculum transmittentem*.

Nostra modo interest meminisse *carbone* laborantium bubum latices vitales praecipuos, cruorem scilicet, ac serositatem eam habere vim, qua in animalia sana traducitur labes ipsa *carbunculosa*, citius in cornigera, potissimum eiusdem speciei, tum in lanigera; serius evolvenda in aliis speciebus, quae vel contactu, vel absque illo, halitibus tantum emanantibus ab aegroto bove ipsam contrahunt, morbo nondum ad summum apicem malignitatis evecto. Venenum quippe sensim, & pedetentim ab ortu crescit, & vires acquirit eundo, donec ad eam virulentiae gravitatem pervenerit, cum qua vita consistere nequit.

XXVI. *Quo morbi gradu labis traductio fit in brutis hoc nondum laeditur homo*.

Hic tamen extremus vehementiae gradus, & malignitatis, haud postulatur, ut cornigeri,

lanigeri, & alii quadrupedes hauriant contagionem. Hominibus vero forte fortuna gradus hic nondum sufficit, utpote qui bruta aegrotantia tractant innocue, palpant, fricant; prope boves *carbunculosos* diu morantur; sanguinem mittunt; in faucibus, in ano manus insinuant; incidunt tumores, ulceribus medentur. Nec semper ministrando bubus *carbunculosis*, aut sanguine foedati rustici, & Mulomedici morbum sibi adsciscunt: quae differentia caret ratione sufficienti, & manifesta; quamobrem opportune praenotavimus ad morbum in bove sponte natum adipiscendum prae hominibus aptitudine speciali, sive idiosincrasia, sive magis, sive minus refractariis huic labi organis gaudeant gradatim donari, alia, tum alia animantia, quae morbum nondum ad apicem adductum suscipiunt non tantum a bove ipso, verum & a muris, a stramine, ab excrementis in via odoratis, a praesepio, ab aliis utensilibus, vapores morbosos effundentibus, mucosam eorundem vaporum praecipitationem retinentibus diu, sublatis etiam primis bubus a morbo defunctis, inhalant.

XXVII. *Ab idiosincrasiae varietate in singulis hominibus, in singulis hominis ipsius aetatibus, hauriendi carbuncula differentia.*

Eodem pacto homines quoque alter ab altero insigniter differunt, variaque singulorum idiosincrasia sit, ut inter operis socios in bovis mactatione, sive excoriatione, aeque cruore conspersos, illi carbunculo afficiantur, hi evadant incolumes. Quae praedispositio in quibusdam, quae aptitudo tanta esse potest, ut vitio cruoris, seu lymphae, seu ipsius expansilis vaporis animalis in bubus nondum corruptionis extremum attingente, morbum hauriant quidam; alii vero a *carbone* perempti bovis sanguine maxime contagioso, ne quidem fuerint in morbi discrimen adducti, quum revera evaserint nonnulli pluribus in partibus nudi corporis largissime a sanguine bovillo *carbunculoso* foedati, ne pustula quidem laborantes: e contra immanem *carbunculum* contraxisse hominem sola manus introductione in bovis aegrotantis anum nil sanguinis effundentem; bovis, inquam, qui sanitatem integram opportuna medicatione recuperavit.

XXVIII. *Ex imperceptibili carbunculosi laticis molecula homines lethiferam vim pati exemplis ostenditur.*

Caeterum non frequenter, nisi a sanguine, vel sero mortui bovis, homines morbum haurire consueverunt; & his aspersi, quin ipsi necessarium sit large prolui. Unicam enim saepe guttulam, vel minimam illam particulam, quam proboscide suxit, vel tenuissimis pedunculis attraxit musca, aut tabanus, a cruore infecto, in viventem hominem inseruisse *luem carbunculosam* historici, epizootiarum passim narravere; uti postremis hisce temporibus Faucigniaci Focunatium bis observaverat *Ioannes* BRUGNONI eruditissimus Mulomedicus Cisalpinus, memorans epizootiam mulorum anno 1780. illic grassantem (*a*). In Historia Soc. Med. Parisinae a D. GARAC (*b*), & a laudato IEMINA (*c*) simile exemplum atrocissimum affertur (*d*); & *Io. Do-*

(*a*) Vid. *Opere Anatomiche, e Cerusiche di* Ambrogio BERTRANDI *pubblicate, e accresciute di note, e di supplementi ec. Torino* 1786. *presso i Fr. Reycends in* 8vo *Tomo I. pag.* 100. *nota* (*a*).

(*b*) Vol. I. pag. 251.

(*c*) Loc. citat.

(*d*) *Marcus Antonius* IEMINA &c. De Pleuriti-

minicus MAIOCCHI (*a*) a Sangeorgio in Lumellina Cisalpinorum Provincia Medicus mihi pernecessarius, narrat de adolescente trilustri a *carbunculo* in tibia dextera perempto in Nosocomio Ticinensi, orto non ita pridem a musca in eodem crure insidente, ibidemque manus ictu occisa, dum excoriabatur coram iuvenca morbo *carbunculari* correpta, cuius pasta cruore musca suspicabatur. Ergo etiamsi in quibusdam contactus immediatus non apparuerit, coniici non iniuria potest hoc inconsiderate factum, quippe qui soleat in membris observari tactui obnoxiis a quocumque indumento spoliatis, in manibus puta, in facie, in pedibus bubulcorum, vel in cruribus tectis calceamentis ab humore contagioso facile permeandis.

XXIX.

de, quae Ormeam, Garessium, aliaque oppida in Valle Tanari fluminis sita populariter infestavit anno Dom. 1767. &c. Monteregali 1789. apud Io. De Rubeis in 12. pag. 247. 248.

(*a*) *Lettera del Medico e Chirurgo* Gio. Dom. MAJOCCHI *di S. Giorgio Lumellina, in cui si scioglie la quistione, se le carni delle galline morte dalla corrente epizoozia si possano impunemente mangiare, oppure si debbano ragionevolmente rigettare come sospette e perniciose. In Pavia per Gius. Bolzani* (1790) *in* 12. *pagg.* 32. 33.

XXIX. *A bobus hauritur labes per effluvia expanſibilia contenta muco vaporoso, & a lanigeris beſtiis.*

Boves inter alios quadrupedes non tantum per muscas, & insecta volantia, vel repentia, *carbunculoso* latice paſta, seu tincta, venenum traducitur ab aegris ad sanos; sed quum octo decem, & plures dies poſt amota animalia infirma, vel mortua, superſit ſtabulo vis *carbunculi* inserendi, hanc inhaerere iudicamus effluviis expanſilibus vaporoso miasmate, aëreo, lymphatico obductis, depoſitis ab immunda colluvie, quae ex animali aegrotante dimanaverat per os, per nares, per corium, una cum excrementis ipſis ab ano, a vescica, cum sanie *carbunculi* exulcerati scatentibus. Haec porro vix in aëre supersunt, quoniam ab eo devolvuntur, & parietibus, praesepio, ſtrato, poſtibus & aliis utenſilibus adhaerescunt, niſi solerter omnium religiosa, repetita depuratio, lotio, suffimentum, immutatio inſtituatur. Haec ſingula negligere crimen semper erit vix capitali piaculo delendum.

XXX. *Subdola natura veneni.*

Ab hactenus congeſtis evinci mihi videtur, A. O., venenatos bubum degeneres

humores, ac praesertim cruentos, una cum turbulento vapore expansili animali a vitae viribus expultricibus in quibusdam critice, in aliis symptomatice, sub tumoris specie ad corium amandari; in quibusdam vero mixtos, confusos cum reliquis, circulationes absolvere sollicitas, perturbatas, ita ut febre potius animal comburatur usque ad mortem, quin localia symptomata proferantur. In caeteris vero tabum *carbunculosum* ad interiora decumbere, & quam citissime ad viscera vitalia in illis, quae subitanea, vel praecipiti morte corruerunt. Ita multiplici facie se se prodit morbus!

Sub quocumque autem aspectu ludat sive tumoris, sive febris, vel dysenteriae, vel anginae, vel tumidi lienis, vel mictus cruenti, aut huiusmodi, eadem semper est caussa materialis: in eo siquidem omnino ab illa nati morbi consentiunt, ut *carbonem* transfundant tum in congenera bruta, tum in hominem. Quolibet vero *carbunculari* morbo correpti boves quadrupedibus ruminantibus cornigeris ipsum tradunt sola miasmatum evaporationis via, ita ut isti non raro pereant *carbone* intus inhalatione sibi comparato, quin extus appareat tumor: eadem ratione qua in priore morbido bove sponte innatus est, non ab aliis acceptus; in quo bove non innotescit nisi conjectura, priusquam alia infecerit animalia.

XXXI. *Votum, & ratio, ut ex signo characteristico tandem pateat invasio labis in prima bestia.*

Quo pacto miserrime fit, ut communicatio veneni evitare, totis viribus satagere debemus, fere semper expectanda sit, quae morbi genium, indolemque pandat exitiosum! Quoniam igitur a tempestatum perturbationibus, sat certis experimentis, observationibusque meteorologicis non liquet esse repetendum, num desperabimus futurum esse, ut tandem aliquando signa, hunc morbum in corpore bovillo incipientem patefacientia, detegantur, vel unico symptomate, vel ex plurium congerie conflata? Minime quidem, Adolescentes ingenui; nam videor mihi videre agricolas, & veterinarios tum urbanos, tum rusticos, in morbum *carbunculosum* diligenter inspicientes, totam eius periodum, singula stadia, epocas, vel tempora attendere; iuvencum a capite ad ungues usque contemplari, & ipsius anhelitum; cutis, oris, & narium habitum; ipsius odorem, calorem, vaporosam effluentiam; oris spumam densiorem, tenuiorem, limpidiorem, bullis aëreis magis vel minus refertam, albam, luteam lustrantes; solerter notare quid appareat quotidie mor-

bosi in qualitatibus sensibilibus, & in functionibus; evacuationes; ruminationis quantitatem; gradum caloris; arteriarum motus; vires musculorum; oculorum, palpebrarum, lacrymarum conditionem; aurium, narium, labiorum, linguae, palati motus, & statum; respirationem; tussim; suspiria; gemitus; appetitum; sitim; abdominis & hypochondriorum tensionem, vel depressionem; iliorum palpitationes, convulsiones; lactis deficientiam, colorem, saporem, fluiditatem mutata; excreta ex ano, & vesica; affectiones corii, pilorum, cornuum, iuguli, caudae; morositatem; oestrum; torporem; sanguinis missi, vel per anum, aut per urethram eiecti; colorem, odorem, consistentiam; remediorum effectus; vitia cadaverum.

A nexu observationum huiusmodi sapienter, & consulto collectarum, desiderata signa pathognomonica dimanabunt, quin meteororum iniuste notentur intempestates.

XXXII. *Magnorum Virorum conatus hac in re imitandi, eorumque nomina ob hanc immortalia.*

Re quidem vera singulis modo memoratis pluries, assidue, philosophice indagatis, rite perpensis, ad trutinam iterum iterumque

revocatis, quid non proficiet Mulomedicus? Donec in rerum huiusmodi contemplatione versabimur, quid notitiarum ad semeiotices morbi *carbunculosi* perfectionem conducentium non haurietur a nobis? Quos pigebit ne unquam haec diligenter pertractasse, quum eadem TUCIDIDES, LUCRETIUS, OVIDIUS, SERENUS, VIRGILIUS, VEGETIUS, VARRO, AGRICOLA, CATO, COLUMELLA, PALLADIUS, ZWINGERUS, RAMAZZINI, VALLISNERIUS, BORROMAEUS, LANCISI, MURATORIUS inter Patres, Magistrosque nostros Viri celeberrimi contemplasse, descripsisse, docuisse, pro dignitate nominum suorum, quae maxima hercule fuit, opportunum censuerunt, commendabile, decorum! Mitto reliquos ab eruditissimo Senensi publico Professore *Dominico* BATTINIO laudatos in celebri *Epistola de bubum morbis* ad *Bernardum* AGNINIUM data, quum BATTINIUS ipse promultis sufficiat nisi laude sua prosequendus esset clarissimus *Petrus* MOSCATI Civis Mediolanensis ob opus anno 1795 vulgatum, eruditione refertum singulari.

Mitto innumeros postremorum horumce temporum, qui de rebus veterinariis egerunt exquisitissime, tam exteros, quam nostrates, ne in immensum crescente quotidie beneme-

rentium, nimis in longum nostra protrahatur oratio, cuius periodum clauderet iam perbrevis declaratio operum perficiendorum in curatione instituenda bovis a morbo *carbunculoso* correpti, nisi opere pretium esset antea perpendere, utrum caeterorum tutelae potius bos mactandus non videatur, an aliis curationum methodis subiiciendus.

XXXIII. *Quidnam sperandum sit a prompta bubum infectorum mactatione?*

Aequum sane, iustumque esset hoc sacrificium, quoties ab unica, sive altera bestia sordide, ac malitiose per aliquot dies incassum servata, ab unico semiputrido corio in spem levissimi lucri detracto, integrum pecus tum provinciae, tum universae Principum ditionis immensurabile detrimentum patietur. Aequa igitur & sancta fuit lex, qua Mutinae, clarissimi Viri *Gherardi* RANGONII hortatu, singularum bestiarum a morbo correptarum; sub initio epizootiae, mactatio sanciebatur: ea tamen erga dominos pietate, ut dimidium pretii, quo bestia venundari potuisset, ab aerario Serenissimi Principis erogaretur, & in heri cederet beneficium.

Hanc rationem eliminandarum epizootiarum prior omnium proposuerat illustris olim

Archiatrorum Pontificiorum decus LANCISIUS: quod monitum sequutus nonnullas in Europa nationes, armentorum partem potissimam praeservasse ab historiis edocemur. Irremissibili occisione pecudum quorumcumque, vel infectorum, vel ab armentis aequivoca valetudine diffamatis extractorum, praeservata fuit Flandria Austriacae ditioni parens, dum integra Batavia devastabatur. Hinc undecim millia quingenta bubum annis 1770, & 71, ea regione incolumitatem debuerunt mactationi opportunae capitum ne quidem quingentorum. Unica tantum Cortracensis ditio servavit vigintiquinque millia sexcenta nonaginta tria bubum, occisis centum duodetriginta: dum eiusdem ditionis regiuncula, ubi vigintiquinque mille sexcenti nonaginta tres boves numerabantur incolumes, Octobris mense anni 1770, & bis mille sexaginta novem infirmi, non admisso morbidorum sacrificio, labes disseminata, ne quidem altero mense dilapso decemmille nongentos quadraginta tres boves destruxit, priusquam reliquum eiusdem anni cursus absolveretur.

Quid plura exempla apud extraneos quaeritanda? Romana ditio ipsa formidabile nobis, miserrimum protulit eadem epizootia vigente, contra quam hac Aegida tecta LANCISIUS cupiebat esse armenta romana. Me-

thodus prudentissima, & quammaxime congruens, visa est nimis violens: & dum usurpabantur remedia mitiora, labes per Appiae viae regiones conterminas late diffusa, veneno undique per armenta debacchatur; nec a strage destitit, sero & frustra ingemiscentibus Magnatibus, nisi viginti sex mille ducentis quinquaginta duobus bubum capitibus prostratis. Adeo lugenda poena multata fuit Procerum indulgentia, ne potius dicatur vituperabilis avaritia possidentium!

XXXIV. *Inutilitati fortuitae huius methodi num sufficiendae ablegatio, num segregatio, num detentio?*

Haec potissima quidem esse deberet ratio praeservandorum ab epizootiis pecudum, & praesertim a *carbunculosa*, ubi quemadmodum prudenter inculcatae sunt, ita res perpetuo consisterent: verum, pro labili sublunarium caducitate, fieri potest, ut aliquando prophilaxis haec, inter praesentaneas optima, nequeat universim amplexari; praecipue quum epizootia procedat ab armentis de regione in regiones iter facientibus. Tum sacrificia non unicum tantum sive alterum bubile, sed omnia illa plurima prospicerent, in quibus corpora infirma steterant: hocque malum cito citius

hic, illic, uno ictu oculi propullulat, mactationes tantas eodem tempore postulans quot sufficerent, ut sanguinis rivis tellus inundaretur.

Quod horrendum, abominabile praesidium ut anteverterant Mulomedici recentiores, ad praeceptum humanius COLUMELLAE denuo confugerunt, COLUMELLAE, inquam, illius vere *Moderati*, qui *de Re Rustica* lib. VI. cap. V., ubi docet, *quae sint quibus pestilentia ingruit gregi, & quae remedia adhibenda*, haec habet = *Cum* (pestilentia) *in gregem incidit, confestim mutandus est coeli status; & in plures partes distributo pecore longinquae regiones petendae sunt, atque ita segregandi a sanis morbidi, ne quis interveniat, qui contagione caeteros labefaciat. Itaque cum ablegabuntur in ea loca perducendi sunt, quibus nullum impascitur pecus, ne adventu suo etiam illis tabem afferant.*

Mirum quomodo in tanto verborum compendio octo ad minus praecepta complexus sit aureus ille Scriptor, in quibus tota vitandarum, & curandarum epizootiarum summa consistit, animos erigendo ac recreando felicis exitus fiducia praelibati addendo.

= *Evincendi sunt, quamvis pestiferi, morbi, & exquisitis remediis propulsandi.*

Cognoverant igitur veteres Mulomedici, nullam esse labem adeo pestiferam, adversus

quam *ablegatio*, *segregatio*, & *detentio*, prodesse nequeant. Harum priores duae profligandae ipsius rationes cum nimium sint dispendiosae (liceat uti ipsius COLUMELLAE vocabulo); cum postulent plures ministros, & custodes, quorum opere nimium diuturno tempore orbarentur, bubilia, & familiae breviter expendemus, utrum tertia quae superest facilior sit, imo tutior, ideoque una tentanda, ut ad armentorum incolumium tutelam, & ad morbidorum commodiorem pertractationem utilius aptetur.

XXXV. *Argumenta pro detentione in Zoolaemocomiis.*

Cur nam non usurpabuntur pro pecude a morbo contagioso correpto, vel contagii concepti suspicionem iniiciente, illa praesidia medica, seu prophilactica, quae ad hominum defensionem, vel curationem in usu vocantur? Cur nam *Laemocomia*, quae apud Italos *Lazzeretti* nuncupari solent, non instituuntur pro pecude, ac instituta sunt pro hominibus? Si oeconomica, tutissima, utilissima noscuntur, quum prospiciant humanam speciem, quonam pacto fiet, ut eiusdem emolumenti, tutelae oeconomiae origo non sint evasura pro bovillis, ovillis, equinis caeterisque speciebus? Quae-

nam civitas, quodnam oppidum, quinam pagi non haberet (si libuisset), vel habere facillimo negotio nequirent, & minimo etiam dispendio, conclave opportunum, ubi segregatis in stabulis continerentur animalia vel *suspecta*, vel inquinata, ad curationem ibi suscipienda, quam modo sumus expositurі?

Quum primum clementii Principum amica felicitatis, & commodorum Populi divitiarumque ad nationem pertinentium, quae aerario publico continentur, aequa, munificentissima conservatrix, & *erogatrix*, agnoscens *Zoolaemocomiorum* utilitatem, & commoda, eorum erectionem apprime necessariam sibi fore gratissimam significabit, ecquisnam ambiget ipsorum institutionem municipatim, & pagatim promptissimam esse futuram? Adsuntne infirmitates aequivocae indolis? Imminentne epizootiae contagiosae? Mulomedicus, Minister *Zoolaemocomialis*, remedia, prae foribus proprii bubulis praesto sunt colonis, ibidem tunc temporis eadem cura, & sollicitudine, ac domi administranda; operationes iisdem cautelis ibi perficiendae; omnia, verbo, adhibenda sicut in Laemocomiis optime constitutis usurpari consueverunt, quin bubulcorum, custodum alter *longinquas regiones petat* cum bove infirmo; alter, &, quemadmodum plerumque evenit, inutiliter *ablegetur*; & omnia

procedent modicissimo stipendio ex parte bubulci, ad reliquum dispendii pecunia aerarii publici erogata.

Vacant ne (Apolline dextero) armenta a morbi suspicione? *Zoolaemocomia* aliis interserviant.

XXXVI. *Summa capita curationis universalis, & praeservativae in Zoolaemocomiis.*

In conclavibus ad haec destinatis tuto, innocue, feliciterque suscipietur illa curatio individualis infecti, vel tantum *suspecti* bovis, cuius summa capita ad subsequentia reducuntur.

Radicatio: *Inustio*: *Setaceorum transductio*; *Sanguinis prudens*, nec nisi opportunissima *emissio*:

Sordium abdominalium eliminatio: *Alexiteriorum*, *Alexipharmacorumque administratio*;

Carbunculi exstirpatio; qua non admissa:

Carbunculosarum carnium scarificatio:

Cauterisatio.

A coloris interea *bubilium* sollicita instituenda *purgatio*, & singulorum *capitum prophylactica* diligens *medicatio*.

XXXVII. *Radicationis antiquitas.*

Ex operibus COLUMELLAE, & PLINII hauriuntur utilitates *Radicationis*, quorum prior eius instituendae rationem tradidit his verbis. = *Aenea subula pars auriculae latissima circumscribitur ita, ut manante sanguine tamquam literae O ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinsecus, & ex superiore parte auriculae cum factum est, media pars descripti orbiculi eadem subula transuitur, & facto foramine consiliginis radicula inseritur; quam cum recens plaga comprehendit, ita continet, ut elabi non possit: in eam deinde auriculam omnis vis morbi, pestilensque virus elicitur, donec pars, quae subula circumscripta est, demortua excidat, & minime partis iactura caput conservatur* = (*a*).

PLINII vero, quae ad *radicationem* attinent haec sunt (*b*). = *Radix herbae con-*

(*a*) L. IUNII MODERATI, COLUMELLAE de re rustica libri XII. Eiusdem de arboribus liber separatus ab aliis. Apud Seb. Gryphium Lugduni 1548. in 12. Lib. VI. cap. V. pag. 215. 216.

(*b*) C. PLINII SECUNDI Historiae Mundi libri XXXVII. Lugd. ex officina Beringorum MDXLVIII. in fol. col. 670. lin. 19.

filiginis, quam nuper inventam diximus (a), *suum quidem, & pecorum omnium remedium praesens est pulmonum vitio, vel traiecta tantum in auricula* =.

Hanc operationem perficiunt recentiores frequentissime sternum versus in paleari.

XXXVIII. *Sanguinis missio*.

Si plethora minitanti laboret animal, nec urgeant symptomata gastrice colluviei, aut humorum scepticorum rarefactio, sanguis est moderatissime mittendus, ne vires unica phlebotomia largiori labescant: observata enim Mulomedicorum docent tres libras sanguinis a bovis corpore vegeto eductas, vix duodecim diebus reparari.

XXXIX. *Purgantia*.

Cacochylia nonnunquam naturae motibus obstat; tunc blanda purgatione, repetitisque

(a) Est quae Hellebori species herba, de cuius radice hic PLINIUS loquitur, quod nigrum, sive spurium, vel Pseudhelleborum nuncupantur. Verba PLINII reperiuntur ibidem lib XXV. cap. VIII., & lib. XXVI. cap. VII. Meminit *Philippus* BEROALDUS Annot. in COLUMELLAM, verbo *Consiliginem* &c. Vid. Enarrationes vocum priscarum in libris de re rustica per *Georgium* ALEXANDRINUM, *Philippi* BEROALDI in libros XIII. COLUMELLAE Annotationes. Apud Seb. Gryphium Lugduni 1549. in 12.

clysteribus evacuandae sunt viae gastricae, & intestina crassiora: ea tamen ratione, ut non corporis volumini comparentur & doses, & vires medicaminum interiorum bubus administrandorum, sed cito labantibus in colossali macchina viribus vitae, sed facillime exhauriendae in bove (minori etiam stimulo) excitabilitati consulendum. In hoc enim plerumque a rusticis veterinariis peccatur; & debilitato, nimis energicis medicaminibus, iuvenco, vires ad morbum ferendum impares redduntur.

XL. *Alterantia*, & *Derivantia*.

Debilis ne iam offenditur bos, & morbi carbuncularis indicia num circumstare verentur? Alexipharmacis erigantur vires; acidulis potissimum potionibus infringatur aestus rarefactivus ad dissolutionem exitialem humores impellens, & acido ipso minerali modo magis, modo minus diluto, quale IEMINA noster proposuerat, & clar. Doct. *Benedictus* BONVICINI Taurinensis, non ita pridem in usum utilissimam revocavit; nec non cortice peruviano scepticitas imminens, asthenica procedens: *carbunculosum* miasma praeexistens arceatur, corrigatur, eliminetur.

Exteriora versus alliciatur, & stimulus

carbuncularis, & cuiuscumque generis irritatio possibilis, *radicationis*, *ustionum*, *setaceorum* ope, quae a peritioribus veterinariis tempore & in regione corporis opportunissimis instituantur.

Missas facio lotiones antisepticas, & roborantes, bis in die saltem dandas faucibus, linguae, palato, gingivis, naribus, integro victui, & auribus, & collo, & ventri, & coxis, & armis & pedibus; missas facio strigillationes frequentiores; suffitus in stabulo iterum iterumque excitandos; utensiliumque omnium perfricationes iterandas & praesepium, & postium, & aculeorum. Idem dicamus de *segregatione* bubum sanorum ab infirmis; quae omnia, cum pluribus aliis cautelis mirum in modum ad prophilaxim conducentibus, hic praetermittuntur, utpote quae agricolis, & lippis innotuerunt, ut ad operationes *carbunculum* visibile, palpabile, prospicientes, tandem aliquando descendamus.

XLI. *Carbunculi excisio*, & *combustio*.

Vel *carbunculi* sedes, & magnitudo mediocris admittunt exstirpationem, vel eidem obsistunt.

Prior conditio praecipit illico, ut incidatur corium per totam tumoris longitudinem,

&

& secetur cruciatim per totam extensionem lateralem.

Inversis integumentis uncorum, vel forcipum auxilio, a partibus adnexis, a suppositis carnibus abstrahitur integra moles tumoris: cultro scinduntur fimbriae cellulosi textus, & vasa, & reliquae substantiae, quarum reliquiae contentae ferro comburantur, fluxusque sanguinis igne ipso sistatur.

Cavum ab extirpatione residuum impletur unguento basilico, vel de styrace, vel aegyptiaco, additis modo euphorbio, modo cantharidibus pulveratis, modo praecipitatum, vel sublimatum corrodens; usurpatur ad condienda carpta, vel lintea molliora in lacinias redacta, sive stuppam, supra quae corium reducitur.

Inde vigente bove obtinetur suppuratio, cui fovendae conferunt styrax liquida, terebinthina, vel eiusdem oleum essentiale, seu balsamum sulphuris terebinthinatum, & corticis peruviani pulvis cum vitellis ovorum. Nec spernenda est quae praedictis misceatur theriaca veneta antiquior.

Caeteris faventibus carnes optimae indolis replent sinum, nec sera nimium cicatrix obtinetur.

XLII. *Carbunculi scarificatio, & combuſtio.*

Quum autem *carbunculi* sedes, & volumen extirpationi obſtent, inciditur undique tumor satis profunde; ex incifionibus exprimitur sanies, & sanguis; demum ignitis ferramentis uruntur, vel saltem spiritu salis marini, aut vitrioli, seu oleo terebinthinae eſſentiali abluuntur; chinae chinae pulvere asperguntur: & in iisdem perſiſtitur pro qualitate & aspectu ulceris gangraenoſi, & pro mali duratione.

XLIII. *Alia alexipharmaca.*

Interea totis viribus moliendum eſt, ut venenum a quacumque cauſſa genitum in bove ad integumenta impellatur; & vitio interiori interioribus remediis obſiſtatur, dummodo iiſtis opportunum tempus concedatur a saepe ignota, frequenterque praecipiti paucarum horarum aegritudine. Praeſto igitur ſint, praeter iam dicta, salia volatilia, fluor alcalinus, camphora, antimoniata, & quae alexiteria vi maxima pollent, ac antigangraenosa. Inter haec eligantur quae diaphoretica praeſtant virtute, seu a centro pellente ad periphaeriam, ſi quo natura vergit eo ducendum; ac potiſſimum

ubi progredi, vel etiam (quod pessimum est) retrogredi tumor videatur.

XLIV. *Cadaverum infectorum, & corii, incisiones, combustio, & sepultura.*

Quandoquidem omnia proposita rite, ac sollerter perficiantur, nihilo tamen minus non semper ab orci faucibus eripitur pecus: tunc uncis, & funibus trahantur cadavera procul a stabulis, a pascuis, & alibi tutissima ratione quavis transvehantur, dummodo nil sanguinis, saniei, sive excrementorum decidat in via, unde labes olfactu, vel tactu in reliquum pecus propagari queat.

Effossa profundissime terra in loco remoto, profundis pluribus incisionibus diviso corio, sectis carnibus, diligenter humentur, & calce viva tegantur priusquam tellure operiantur. Tumulis oportet serere plantarum germina, & sternere gramen, & urticas ad absorbendum cadaverosum liquamen, & ambientem corruptum emendandum: alioquin ipsa cadavera crementur, si fas erit, quod est tutissimum.

XLV. *Bubilium mundatio.*

Atmosphaera bubilis (in quo periit a *carbunculo* bos) igne pariter est tota lustranda, remoto reliquo pecude, si tanta fuisset

incuria, vel ignorantia bubulci, ut simul inquinatum, & sana animalia cohabitare permisisset. Ita virus torreatur omne, internusque nocens rarefactus aer locum cedat exteriori novo, innocuo, & salutari.

Utensilia, in quibus suspicari debet miasma venenosum, suburantur, aromaticis plantis ad ignem diutius alendum usurpatis; aut amota in apricum transferantur. Demum parietes detersi, aut derasi, nova calce, si lac eiusdem calcis non suffecerit, obducantur.

Nec armenta nova, seu expiata, ibidem admittenda, quin prius stratum, & solum subiectum diligentissima lustratione, repetita derasione, lotioneque acida, aromatica, mundetur. Nullum enim venenum insidiosius blanditur, & lenius fallit ac *carbunculosum*; quoniam bos mansuetus, homini subditus, opere, lacte, carne, corio, cornu, unguibus ipsis utilis, hoc viru infensus, non vivens tantum, non infirmus lympha, & sanguine corrupto, sed halitibus ex faecibus, ex cadavere suo emanantibus, imo ne quidem nuperrime effusis, noxam affert armentis, & (nisi praecaveatur) humano generi mortem minitatur.

XLVI. *Peroratio*.

Quae mala, quae profecto gravissima mala ut arceantur, ut effugiantur, qui morbi

ut feliciter, tute, ac perfecte curentur, *Zoolaemocomiis* congruentibus locupletentur civitates, oppida, pagi. Hoc vere locupletari est. Mulomedicis, & Ministris ab aerario publico stipendio datis, *Zoolaemocomia* instruantur: & ipsi pecora *suspecta*, ab infectis segregata, praeservent: infecta sollertissime, ac eradicative pertractent, donec viginti ad summum, quatuordecim ad minimum, diebus elapsis, valetudini restituta bestia in heri potestatem reducatur.

De ratione impendiorum statuenda, vel reposcenda, sive corruat bestia, sive incolumis ad dominum revertatur, sollicitudo, & cura, penes Iustissimum, Clementissimumque Principem esto, & penes Optimos Magistratus. Quorum si approbationem in re tanti momenti monita, & cogitata nostra consequentur; si vestro favore, A. O., prosequentur, sicuti humanitate fuerunt prosequuta, obsequii erga Ipsos nostri, observantiae in Vos, & amoris, & animi gratissimi energia, quamcumque antecedet sermonis significationem.

OPUSCULUM II.

DE CORPORIS HUMANI VIRIBUS CONSERVATRICIBUS

DISSERTATIO

Anno MDCCXCVI. Goettingae edita

AUCTORE

THOM. YOUNG

MEDICO ANGLO.

I. Cum de morborum exitu salutari falsae notiones apud multos obtinuisse videantur, convenit ideo hanc materiam aggressuro, eam accuratius primum ab aliis distinguere, deinde fusius per totum eius ambitum considerare. Per vires itaque conservatrices, eas designare volo, non quae corpus integrum inque omnia vitae negotia aptum sustinent; hae enim ad physiologos pertinent; sed quae valetudinem iam imminutam restituunt, sive, ut strictius dicam, quarum ope quidquid displicet ab homine amovetur. Quanquamque, ut infra vide-

bimus, hae ab illis natura sua vix differant, hoc tamen non obstat quin separatim tractari possint. Fit enim hic, ut saepe alias, gradibus minime notabilibus ab hac parte in illam transitio; vicina coalescunt, extrema longe dissident. Is status qui in quibusdam pro sano haberi potest, simul atque cum aliorum robore comparabitur, morbidus statim videbitur (*a*). Si ea vitae ratio, qua longaevi, qua corpore grandi, vegeto, nervoso, quam maxime fiant homines, maxime etiam salutaris, naturalisque habenda sit, praestent equidem plurimum sylvestres, feraeque gentes cultissimis, sapientissimisque civitatibus. Attamen *θανεῖν οἷσιν ἀνάγκα, τί κέ τις ἀνώνυμον γῆρας, ἐν σκότῳ καθημένος, ἕψοι μάταν, ἁπάντων καλῶν ἄμμορος* (*b*); si medicae naturae id pro honorario solvendum est, ut aliquid de dierum spatio diminuatur, hoc sapiens facile feret, neque ut vivat vivere desinet (*c*), illud cogitans, canos capillos etiam iuveni adesse posse (*d*), neque ei semper,

(*a*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Iena 1795. 8vo Vorr. & p. 5.
(*b*) PINDARUS.
(*c*) DARWIN Zoonomie. London 1794. 4to p. 37. 5. pag. 469.
CATULLUS.
(*d*) PINDARUS.

cui pauci sunt anni, horarum etiam bene iucundeque exactarum numerum esse exiguum (*a*).

II. Ipsam autem naturam in morbis depellendis plurimum posse, & res est quotidianae experientiae, & ab omnis aevi medicis celeberrimis strenue inculcatum est. Idque optime expressit SYDENHAM; nam cum ad morbi solutionem, inquit, a natura destinatam haud satis attenditur, sed alia medendi ratio temere instituitur, hinc perturbata totius corporis oeconomia, ac omnibus susque deque conversis, non modo tristissima rerum facies, ultra consuetum morbi morem, inducitur, verum morbus, iam a seipso alius, etiam anomalis accidentibus velut alienigenarum satellitio stipatur (*b*). Nuper etiam bene SCHAEFFER; plurimorum morborum caussae extra artis atque medicinae potestatem sitae sunt; nobis id tantum concessum est, ut molestias ex iis ortas & impedimenta dimoveamus, naturaeque viam faciliorem reddamus, qua ipsa caussas primarias tollat (*c*). Auctores in hanc sententiam plures

---

(*a*) BACO A VERUL.

(*b*) SYDENHAM opera universa. L. B. 1726. 8. M. ac. s. 2. c. 2. p. 106.

(*c*) SCHAEFFER ueber Sensibilität. Francof. 1793. 8. P. 108. 109.

citare supervacuum eſt (*a*). In omnium igitur morborum curatione, ea ineunda eſt deliberatio, an is decursus expectandus ſit, vel accelerandus, qui ſponte ſequeretur, an nova omnino via aperienda. At non omnes morbos ſponte ſanari ſtatim ex eo liquet, quod pauci inter homines ad ſenium perveniant; patet etiam, ligato saepe arteriae trunco, vitam ab arte conſervari poſſe, quae cito ſine hac periiſſet; in aliarum arteriarum dilatationibus, neque natura neque ars quidquam valet; suntque aliqui & caſus & morbi, contra quos ne minimum quidem molimen fieri videtur. Quanto etiam digniorem locum homo in rerum natura tenet, eo magis ipse ſibi ſuccurrere poteſt (*b*); tanto minus illi quam ceteris rebus viventibus auxilii contra varia diſcrimina iniuſſum ſubvenit. Lapides, eiusmodique corpora, morti exempta sunt; vegetabilia se lacerari, ſcindi,

(*a*) HIPPOCRATIS opera, FOESII. Francof. 1595. f. Epidem. VI. 5.
CELSI de medicina libri octo. L. B. 1730. 8. II. 8.
HOFFMANN reſpondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica p. 14.
GAUBII inſtitutiones pathologiae. L. B. 1758. 8. p. 18., 103., 646.
HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Ien. 1795. 8. Vorr.

(*b*) HUHN commentatio de regeneratione partium mollium in vulnere. Goett. 1787. 4. p. 7.

inverti, omnibus modis torqueri tuto patiuntur; multa post longam siccitatem reviviscunt; eadem fere vermes quidam sustinent; insectis, amphibiisque multis membra deperdita cito renovantur; ἡμεῖς δ' οἱ μέγαλοι καὶ καρτεροὶ ἢ σόφοι ἄνδρες (a), nobis vix cutis ossisve portio exigua renascitur. Casus quidem multi statim occidant necesse est; fulminis ictus lethalis vix sentiri videtur (b); a pestilenti halitu subito aliquando vitam adimi notum est; longi quidam morbi non raro soli cedunt arti (c), saepe ei etiam resistunt; syphilis vix sponte abit; scabies artem expectat; carcinoma, dentium caries, aspernantur; vermes diversi a domicilio, quod solum iis natura concessit, invitissimi abeunt.

III. Iam de tota hac constitutione, qua incommoda animalibus incidentia levantur, pauca diversorum auctorum placita praemittenda videntur (d). Sententia, quam proposuit HIP-

(a) MOSCHUS.

(b) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. p. 30. p. 110.

(c) SYDENHAM opera universa; L. B. 1726. 8. Morb. acut. praef. p. 28.

HUFELAND Ideen ueber Pathogenie; Ien. 1795. 8. p. 259.

(d) TRILLERI opuscula medica, T. 2. Francof. & Lisp. 1766. 4. p. 286.

POCRATES, eo in sensu, quo GALENUS exponit, quanquam ſimplex ſit, verior tamen eſt quam recentiorum quorundam opiniones; nempe eas facultates varias, quae muneribus ceteris in corpore funguntur, etiam morbis mederi (*a*). Longe quidem nimius eſt SYDENHAM, qui omnem morborum, quantumlibet eius cauſſa corpori adverſetur, nihil vult eſſe aliud, quam naturae conamen ſalutem aegri molientis (*b*). STAHLIUS, quod alii intentatum reliquerant, omnium motuum corporis animalis cauſſam unicam universalemque quaerens, ipſe nihilo felicior fuit, qui ſub animae voce omnia regentis quid intelligat neque ſatis clarum fecit, neque eam animam exiſtere demonſtravit; voluit itaque non tantum morbum ipſum, ſed ſymptomata etiam ſingula, in febribus praeſertim, ex eodem fonte derivare (*c*): neceſſe autem erat ipſe fateretur hanc animam ſapientem non ſemper tranquilla ratione agere, ideoque aliquando errare. Contra huius opinionem inter alios SLEVOGT

(*a*) HIPPOCRATIS opera, FOESII. Francof. 1595. f. FOESIUS in Epidem. VI. 5.

(*b*) SYDENHAM opera universa; L. B. 1726. 8. M. ac. pr. p. 37.

(*c*) STAHL theoria medica vera. Hal. 1708. 4. De ſcr. ſuis. p. 64.

programma bene scripsit, de natura morborum effectrice (*a*). Sub idem tempus HOFFMANNUS in dissertatione de natura morborum medicatrice mechanica, multa optime exposuit (*b*). GAUBIUS virtutem naturae pervigilem, propriam salutem propugnantis, erroribus tamen expositae, non falso quidem, per lusum autem quasi poeticum laudat (*c*); hancque potius in corpore, quam in anima residere, non sine dubitationis specie statuit (*d*). CULLENIUS etiam, qui & HOFFMANNI placita saepe secutus est, vi naturae medicatrici multa tribuit (*e*). Ingenio *Iohannis* HUNTERI plurima debemus, diviti atque fertili, protervius-cule tamen aliquando lascivienti; is STAHLII sententiam partim retinuit, partim mutavit; singularum enim corporis humani partium officia dirigi volebat, non ab anima totius rectrice, a facultate autem quadam ipsis in partibus inhaerenti, id quod in melius verteretur

---

(*a*) SLEVOGT de natura morborum effectrice programma. Ien. 1700. 4.

(*b*) HOFFMANN, respondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica. Hal. 1699. 4.

(*c*) GAUBII institutiones pathologicae. L. B. 1758. 8. p. 51., 101., 104. 634.

(*d*) GAUBII loco citato p. 647., ad 649.

(*e*) CULLEN'S first lines of the practice of physic. Edinb. 8. 41.

efficiendi, prout ab eo ſtimulo incitarentur, qui ei neceſſitatis, imperfectionis, egeſtatis, debilitatisve conscientia dicebatur: hanc mentis particulam a materia cerebro ſimili oriri credendam, sanguini, vaſis omnibus, musculis, liberali manu diſtribuebat (*a*); eam tamen subinde falli concedebat; quin etiam insanire exiſtimandum foret, ſi cum eo febrem puerperarum ex impreſſione uteri quaſi amiſſi, hecticamque a morbi incurabilis conscientia excitari ſtatueremus. Partium laesarum reparationem vi medicatrici naturae, quaſi ſimplici & diſtinctae tribuit MOORE (*b*). Idem fere a nisu formativo, quem ornatu luculentiſſimo ſibi vindicavit, praeſtari credit celeberrimus BLUMENBACH (*c*).

IV. Ut autem noviſſime, ita & mihi longe videntur optime de hac materia egiſſe BRANDIS & HUFELAND; niſi quod hic forſitan minimum quaſi rationis, antagonismo virium tribuerit (*d*). Quanquam pro certo

---

(*a*) *John.* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 16., 364., & paſſim.

(*b*) MOORE'S diſſertation on the process of nature in the fill'ng up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 5., ad 7.

(*c*) KOELER experimenta circa regenerationem oſſium. Gœtt. 1786. 8. p. 4.

(*d*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie p. 192.

habeam, ait BRANDIS, corpus vivens ita constitutum esse, ut se contra multa, quae immineant pericula protegere possit, fatendum tamen mihi est, me huius naturae medicatricis, ut vis propriae, notionem nullam assequi potuisse. Proponitur quidem illa modo ut numen aliquod coeleste, quod in corpore nobis insciis habitans, omnia in commodum nostrum dirigat; modo ut furia, quae in membra atque viscera nostra saeviat; iam a capite, pectoreve malum in partem nullius momenti transferre dicitur, iam podagram ante in pedibus innocuam ventriculo perniciose ingerere (*a*). HUFELANDUS autem reactionem quandam excitari vult, quae usque ad valetudinem integram vel ad mortem continuetur; qua ipsa etiam voce usus erat HOFFMANNUS (*b*): hanc nihil aliud quam vim vitalem esse in certum finem directam, easdemque omnino leges, secundum variam partium corporis naturam variasque functiones, & morbos inferre, eosdemque depellere (*c*).

(*a*) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. p. 16. p. 69.

(*b*) HOFFMANN, respondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica p. 11.

(*c*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie p. 243., ad 245.

Probabile itaque videtur, vix ullam in rerum natura caussam aut bonum aut malum eventum constanter sequi (*a*). Corpus quidem animale ita constitutum est, ut vivere, valere, gaudere possit; aeque tamen ei naturale est, ut doleat, aegrotet, moriatur (*b*). Nos eo contenti gratique esse debemus, quod superet utplurimum in bonum propensio, viaque omnibus fere aperta sit ad aevum bene iucundeque transigendum. Contra renixus eius, qui morbis occurrit sapientiam perpetuam optime disseruit BERGERUS in libello, quo ostendi profitetur, a circulo potissimum sanguinis pendere, quicquid naturae in curatione morborum tribuitur (*c*). Eum renixum saepe novas calamitates inferre, e multis exemplis patet. Ulceratio, alias non raro utilis, tamen oculum aliquando ipsum pure oppressum disperdit. In ulcere exoritur saepe materia nova in partium laesarum restitutionem; haec autem ita vaga luxuriatur, ut aeque partes alienas ac proprias iungere pro-

(*a*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 464.

(*b*) SCHAEFFER ueber Sensibilität. Francof. 1793. 8. p. 46.

(*c*) BERGER, respondente RICHTERO, de natura morborum medico. Vitemb. 1702. 4. p. 22. 45.

clivis fit: digiti inter se coalescunt (*a*), brachium ambustum cubito, lingua labiis cohaeret; pullulatque ita aliquando tenera massa, ut cuti superincrescenti impedimento sit. Cum fractum os humeri novo articulo nectitur, is vix sive novis musculis utilis esse potest (*b*). Concedendum tamen est eas mutationes, quae primo aspectu in deterius tendere videntur, non raro aliquid utilitatis habere: ulceratio corpus debile devastans eas partes tollit quibus se sustinendi vires deerant (*c*); in atrophia inque febre credit HUNTERUS corpus si plenum maneret, minus morbo ferendo aptum fore; quanquamque aliquae hominis partes laesae redintegrari nequeant, id tamen si nobis proponatur, quales praecipue restitui posse velimus, nullas eligere possimus, quibus haec facultas utilior foret, quam iis ipsis quibus iam adest (*d*).

V. Cum nullae igitur in corpore convalescente

(*a*) CELSI de medicina libri octo. L. B. 1730. 8. V. 23.

(*b*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793, 1794, by Mr. HOME.

(*c*) *John* HUNTER'S Op. cit.

(*d*) MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 74.

lescente cernantur facultates, quae non ab iisdem viribus derivari possint, quae & sanitatem sustinent & morbos efficiunt (a); earum virium doctrinam accuratiorem, quippe quae ad physiologos, pathologosque pertineat, nos omittemus. Id solummodo conandum est, ut determinationes levationesque diversae morborum & incommodorum corpori humano incidentium, singulatim enarrentur, inque ordinem perspicuum digerantur, prout ad varias harum virium species referenda videantur. Quaecunque mutationes in corpore animanti proveniunt, & a caussis quibusdam dependent, modo nobis incognito agentibus, & a partibus facultate praeditis ex harum caussarum applicatione, mutationes illas efficiendi: eae caussae, quaequae fuerint, proprie stimuli dici solent: facultasque ea, quatenus se a mechanicis materiae inanimae legibus distinguit, vis vitalis nominatur. Primo ea morborum levamina persequemur, quae per vim vitalem fiunt, e stimulo admoto simpliciter agentem: deinde quibus vis vitalis diminutio vel augmentum inservit; utrumque vel a stimulorum insolitorum accessione, vel a solitorum intermissione or-

(a) WEIDMANN de necrosi ossium. Francof. 1793. f. p. 2.

tum: itaque quincuplex fit divifio. Addenda forfitan eft praeterea ipsa mors; quae in toto corpore quanquam doloris sensum demat, conservatrix tamen dici nequit; in parte autem accidens, universo corpori aliquando prodeffe HALLERO videtur (a), GRUNERO (b), SCHAEFFERO (c), aliisque. Hic nempe mammam gangraena a carcinomate defendi confirmat, illi febres aliquando gangraena solvi.

VI. Longe plura gravioraque eorum quae ad morbos debellandos inftituuntur, a ftimulis quibusdam in vim vitalem directe agentibus oriuntur. Eius autem vis diversae sunt formae: quarum maxime fimplex eft coagulationis facultas; haec quanquam in materia non animata, ut in lacte, caepae succo, inveniatur, tamen semper vitae alicui originem suam debuiffe videtur: saepe fine cauffis chymicis in actum cietur, fique fides HUNTERI experimento, in eo a fluidorum in solida transformatione chymica differt coagulatio, quod san-

(a) HALLER, respondente PAPPELBAUM, de febre maligna per gangraenam soluta. Goett. 1744. a GRUNERO citatur.

(b) HALLER elementa phyfiologiae, t. 8. Laus. 1778. 4. p. 169.

(c) SCHAEFFER ueber Senfibilität. Francof. 1793. 8. p. 15.

guinis interim non intepescat (*a*). Eam fluidorum sensibilitatem non inepte appellat SCHAEFFER (*b*). Nostro in corpore haec facultas lymphae sanguinis glutinosae fere propria est; nam serum non nisi arte coagulatur. Lymphae coagulatae proxime accedit membrana cellulosa, quae vi quadam praedita esse videtur inter coagulationem & musculorum contractionem intermedia; nempe ut se plus quam corporibus inanimis conceditur contrahere possit; non autem a stimulis musculorum solitis, neque ita ut longitudo eius sola diminuatur. Hanc HUNTERUS modo muscularem appellabat, modo a musculorum vi distinguebat (*c*); BLUMENBACHIUS contractilitatem nominavit (*d*). Deinde irritabilitas; qua facultatem musculi fibras parallelas e quibus constant stimulo admoto abbreviant. E sanguinis coagulatione & arteriolarum motu, regimini cuidam prorsus incognito subiectis, componi videtur nisus ille for-

(*a*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 17,4., by Mr. HOME.

(*b*) SCHAEFFER ueber Sensibilität. Francof. 1793. 8. p. 41.

(*c*) *John* HUNTER'S loc. cit.

(*d*) BLUMENBACH institutiones physiologicae. Goett. 1787. 8. p. 4.

mativus BLUMENBACHII, qui partes non inferas in damnis resarciendis agit: in his autem tanto minus valet virtus illa ignota, incrementi partium gubernatrix, quam in animalium generatione, ut aliquando vix adesse videatur, secretioque prope sola opus exigere. Denique facultas ea qua sensus ad animum transmittitur, sensibilitatis nomine nota, atque ope nervorum agens: quibus an aliquid musculorum subtilium simile insit, eorumque adeo usus ab irritabilitate pendeat, nobis vix coniicere licet. Cetera, quae in animantibus spectantur, parum ab iis differunt, quae in materia inanima inveniuntur. Hae autem vires, si ab eodem vitae principio non proveniunt (*a*), summam tamen inter se affinitatem habere videntur; nam omnes fere simul augentur & simul minuuntur, nisi ab affectionibus singularibus haec mutua relatio turbetur (*b*). In valetudine integerrima & sanguis fortius coagulatur, & musculorum robur maius est, & facilius restituuntur partes ademptae, & maxime acuti sunt sensus: contra in febribus, ubi lente coagulatur sanguis, & corpus debile est, & vix sa-

(*a*) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 8. p. 29. S. 33. p. 134.
(*b*) BRANDIS loc. cit. S. 38. p. 147.

nantur ulcera (*a*), & saepe stupor adest: senibus etiam ut musculi debiliores, ita ossa difficilius coalescunt (*b*). Musculi irritabilitate potentiores lautius nutriuntur (*c*). Vult HUFELANDUS sanguinem in febribus fortius coagulari; idque ex virium omnium incitatione oriri (*d*); nondum autem satis confirmasse videtur. In gravidis averti vim vitalem in uterum probabile est, ideoque difficilius & coagulari sanguinem, & ferri labores, & iungi fracta ossa (*e*): contra enim oxygenii hoc in negotio partes loqui supervacuum est. Febri vel phthisi quidem laborans crescit aliquando aeque ac sanus, vel etiam amplius (*f*); id vero incrementum pro morbido habendum est.

VII. Coagulatio sanguinis haemorrhagiis

(*a*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*b*) WEIDMANN de necrosi ossium. Francof. 1793. f. p. 30.
John HUNTER'S loc. cit.

(*c*) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 14. p. 53.

(*d*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 68 ad 70.

(*e*) WEIDMANN de necrosi ossium. Francof. 1793. f. p. 30.
HUFELAND loc. cit. p. 67.

(*f*) *John* HUNTER'S loc. cit.

vel sponte vel casu provenientibus succurrit. In membris arte truncatis, vasorum relictorum ora coagulo non raro obturantur; idemque fit in vasis ad partem morituram ducentibus: in pedis crurisque gangraena inventae sunt post mortem arteriae curalis iliacaeque sanguinis coagulo accurate clausae (*a*). Alias autem saepius circa os, quam intra vas ipsum coagulum adhaeret; ut in arteriis infra cutem ruptis, vulneribus levibus, narium, aliarumque partium haemorrhagiis: quod hunc manifeste in finem tendit, ut sanguinis profusio vel incommoda vel perniciosa prohibeatur. In vulneribus etiam sanguinis effusi coagulatio, & ad partes in tempus inter se continendas, & ad novae materiae formationem (*b*), quod in tendine *Achillis* observavit HUNTERUS (*c*), & ad redintegrationem subtus procedentem a nova iniuria protegendam (*d*) inservit. Coagulum hoc cum vasa receperit, eam sanationem constituit, quae

(*a*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 23.

(*b*) *John* HUNTER'S l. c. p. 90, ad 92.

(*c*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*d*) MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 23., & 40.

John HUNTER'S prim. Op. cit. p. 214.

unio per intentionem primariam quibusdam dicta est: illam vult MOORE nunquam sine inflammatione lympham effundente fieri, itaque intercedere semper vulneri oris quatuor tenuia strata, alterum utrinque sanguinis, alterum lymphae (*a*): HUNTERUS simplicius, credoque melius, sanguinem solum sufficere; idque etiam in ossibus cerni (*b*); atque aliquando post viginti quatuor horas ab iniuria elapsas, eam sanatione institui posse (*c*); quam porro CELSUS olim ut optimam laudabat (*d*). Exsiccatus sanguis ita protegit, ut suppuratio non adsit: contra si humidae teneantur, ea supervenit (*e*). Quali autem a caussa statim oriatur coagulatio, id nondum ad liquidum perductum est. Frigus nec solum coagulat nec semper adest; congelari enim potest sanguis atque iterum solvi, illaesa hac facultate: aeris contactus plus for-

(*a*) MOORE'S differtation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 23.

(*b*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 192., seq.

(*c*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793, 1794, by Mr. HOME.

(*d*) CELSI de medicina libri octo. L. B. 1730 8. V. 26.

(*e*) *John* HUNTER'S prim. Op. cit. p. 480.

san valet; hic tamen saepissime abest; inque vacuo sanguis etiam citius coagulari dicitur (*a*): quod Viri aliqui celeberrimi vitam sanguini propriam tribuerint, id inutile videtur: si enim vim quandam a vita oriundam volunt, id nec denegari potest (*b*), nec quidquam hic illustrat; sin voluntatem quasi quandam corporis utilitati consulentem, de fine necessario per soliditatem attingendo loquentes (*c*), plus ita sapientiae sanguini tribuunt, quam multorum cerebro ipso inest. Hoc tantum intelligere possumus, aliquam inter coagulationem & musculorum contractionem esse affinitatem (*d*), maioremque forsan cum contractilitate similitudinem; quo autem stimulo incitetur nondum perspeximus.

VIII. Contractilitatis vis, ut ipsa parum notabilis est, ita raro insignia in morbis beneficia confert. BLUMENBACHIUS vult dentium elapsorum alveolos huius ope claudi, os-

---

(*a*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793, 1794, by Mr. HOME.

(*b*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 70.

(*c*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 26., 364., & passim.

(*d*) *John* HUNTER'S Op. cit. p. 86.

que novum in necrosi contrahi (*a*); utrumque autem facilius ab absorbentibus deduci videtur. Corpora externa ex ulcere fistuloso motu peristaltico protrudi auctor est HUNTERUS (*b*). Idem sanguinis coagulati massam gradatim e tela cellulosa expressam esse tradit (*c*). Cutis etiam circa vulnus ad oras eius propius sibi invicem adducendas contrahitur, an hac vi an per absorptionem incertum (*d*). Eius remissio aliquando relaxationem efficere videtur, ut in partibus ori uteri circumiacentibus, tempore partus; quo peracto eas in statum pristinum reducit; uterumque forsan ipsum, cum fibrarum eius muscularium auxilio contrahit; eoque modo aliquando sanguinis effusioni subvenit. Cutis quae cum tumore subiacente augetur, an relaxetur, an crescat dubium (*e*). Iridis motus si huc pertinet, eius contractio nimiam lucem excludit.

IX. Irritabilitas vel in iis, qui proprie di-

(*a*) BLUMENBACH institutiones physiologicae. Goett. 1787. 8. S. 4.

(*b*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 486.

(*c*) *John* HUNTER'S Op. cit. p. 196.

(*d*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*e*) *John* HUNTER'S Op. cit.

cunt musculis agit, vel in visceribus, vel in vasis sanguiferis, vel in absorbentibus. A musculis magis conspicuis pauca fiunt quae ad rem nostram pertineant. Tussis & sternutatio, musculis praecipue abdominalibus debentur, qui etiam in vomitu simul cum ventriculo & diaphragmate, in singultu suspirioque cum diaphragmate musculisque intercostalibus agunt, inque excrementorum expulsione cum visceribus. Tussis a stimulo bronchiis, partibusve laryngi vicinis admoto, per consensum quendam incitatur, qui quibus modis propagetur, penitus nobis ignotum est; usus autem manifestus est, ut corpuscula scilicet externa, mucus, aut pus expellantur: quem autem in finem ea tussis tendat quae a pressa tympani membrana cietur, difficile est dictu; videtur a consensu vel nervorum nexu tantum fortuito dependere. Sternutatio easdem partes in naribus perflandis sustinet, perque similem cum membrana olfactoria consensum efficietur. In vomitu, deiectionibusque hi musculi minimus quam viscera ipsa agunt: singultus conamen imperfectum videtur diaphragmatis solius, a materia ventriculum molestante ortum, eiusque amotionem quaerens. Anhelitus, suspiria, sanguinis motum iuvant. Haec omnia & notissima sunt, & accurate ab HALLERO tractata; non ideo autem quod vulgaria sint praetereunda, cum

multa quae quotidie oculis subiiciuntur animadversionem immerito fugiant. Non autem reticendum est eiusmodi motus aliquando a voluntate proficisci; quaerique posse annon in initio ab experientia edocti sint, posteaque per consuetudinem sponte proveniant; certum tamen est vomitum sternutationemque, & improviso, & invitis, saepe accidere. Iridi si sphincterem adesse credendum est, huius contractio nimiam a retina lucem excludit. Spasmum musculorum universalem in materiae noxiae evacuationem tendere vult HOFFMANNUS (*a*).

X. Viscerum diversorum contractio muscularis saepe in morbis excitatur. Oesophagus nil sibi proprium vindicat; agit & in ructu & in vomitu fere ut ventriculi portio: aquae stimulo hunc, aut pharyngem, partesque circumiacentes afficiente, vomitus cietur, sine quo oesophagus parum hic valere videtur. Ventriculi contractio simplex inverso motu ructum constituit; is a materia noxia oritur, praesertim a cruditate viscus hoc molestanti: non sine sensu incommodi praeeunte evenit, atque voluntate aliquando supprimi vel adiuvari potest. Accedente nausea, musculorumque abdomina-

---

(*a*) HOFFMANN, respondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica p. 13.

lium & diaphragmatis motu convulsivo, fit vomitus, qui iisdem fere caussis, fortius autem agentibus, debetur; cibo concoctioni inepto, nimisve pingui; venenis variis; ut quae retenta nocuissent quam citissime amoveantur. Animi affectio ad vomitum magis vel minus secundum hominis temperamentum confert; quibusdam a visu, odoratu, cogitatione sola, facillime vomitus inducitur, aliis non nisi ventriculo ipso fortiter incitato. Vomitus a bile motus vix laudandus est, cum melius fuisset per intestina eam descendere: tamen & hoc & illud cum commodo aliquando fieri testantur HOFFMANNUS (*a*), & BERGERUS (*b*). Ceterorum intestinorum motus non bene nisi deorsum fit, qui etiam saepe noxiam materiam, secretione simul aucta, expellit; venena per ventriculum transmissa, bilem nimiam, omnia quae acrimonia magna laedunt: contraque vermes aliquando nititur; e decem autem millibus ovorum, quae singula ascaris etiam cum mortuo videtur tamen parere pergit, vix fieri potest, ut non aliqua motum peri-

---

(*a*) HOFFMANN, respondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica p. 13.

(*b*) BERGER, respondente RICHTERO, de natura morborum medico. Vitemb. 1702. 4. p. 20. p. 41., e CICERONE.

ſtalticum effugiant. Ductus biliares a calculi in iis haerentis contactu ad eum expellendum excitantur; qui conatus saepe graviſſimos dolores fruſtra infert.

XI. Vasa sanguifera, cum corde, plurima atque graviſſima in corpore agere facile intelligitur; cum non solum sanguinis diſtributioni in partium nutritionem, atque augmentum inserviant, sed in secretionibus etiam variis minutiores rami occupentur, inque corpore ipso ſtruendo non otioſi eſſe videantur: quibus autem operentur modis valde eſt obscurum. Eorum contractio ſimplex haemorrhagias aliquando ſiſtit: ut in arteria temporali, quae a latere tantum aperta sanguinem profundit: diſſecta ſtatim se occludit. In vaſis maioribus hic impetus sanguinis vix admittitur; fit tamen idem aliquatenus, forsanque magis in ceteris animalibus quam in homine: aſini enim carotis divisa ita se contraxit, ut is non moreretur (*a*). Vult HUNTERUS emiſſionem sanguinis localem hanc contractionem in vaſis minoribus efficere: eamque ad maiora per consensum propagari, eoque modo inflammationi succurrere

(*a*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and phyſiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*a*). Continuata autem arteriarum contractio transmissionem sanguinis producit; subque variis modificationibus secretiones diversas parare videtur. Ubicunque ob usum partis incrementumve solito maius, nutrimento aucto opus est, facile maior sanguinis copia advehitur (*b*). Motus eius incitatus (*c*), si modice, ruborem facit; qui cum a calore magno accitur, hunc levare tendit, & per frequentiorem sanguinis mutationem, & per exhalationis augmentum; si violentius, vel in parte inflammationem, vel in corpore toto febrem constituit. Inflammatio quidem, pro morbo ipso saepe habenda est; inservit tamen aliquando morborum depulsioni. Ad novae materiae parationem (*d*), adque ulcerationis institutionem posci videtur; fortasse quia sanguinis copia opus est, cum ea difficilius in partibus quibus parcus est sanguis efficiantur; vel ut ex-

---

(*a*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794. by Mr. HOME.

(*b*) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 31. p. 125.

(*c*) GAUBII institutiones patholog. L. B. 1758. 8. S. 640.

(*d*) MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 8. HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 142.

citetur vis vasorum (*a*); nam de arietationis arteriarum utilitate mechanica nihil est audiendum. Cum corpus alienum per vulnus intraverit, vel pars interna corporis ipsius emortua iam aliena reddita sit (*b*), cum obstructa secretio glandulam sebaceam impleverit, cum calculus biliaris per cutem emittendus sit, cum vena medinensis mortua, ob mutationem vel tantum vitalem vel etiam chymicam, amplius tolerari nequeat, cum vulnus per sanguinem solum conglutinari non potuerit; initium remedii sit in his omnibus ab inflammatione; quam dolor saepius comitatur. In glandulis absorbentium, a materia morbida redeunte non raro excitatur inflammatio; nam a consensu per vasa ipsa ex parte propagato derivare difficile est; ea vel tumore noxae transmissioni obstare, vel potius glandulam corroborare videtur ad materiam domandam (*c*). Eae autem corporis partes quae acutius sentiunt, in inflammationem prócliviores sunt; cutique adeo vicinae facilius eam subeunt quam

(*a*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 311.

(*b*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*c*) BLUMENBACH institutiones physiologicae, Goett. 1787. 8. S. 34. 442.

magis ab ea remotae (*a*), quod idem de ulceratione eam insequente verum est: nam cum profunde penetraverit materia aliena, vel morbida exstiterit, retinetur aliquando innoxia in corpore: vel si dimoveatur, fit id primum per absorptionem partium simplicem, postea cum superficiei appropinquaverit, per ulcerationem (*b*). Hinc qua arte, sine animae regimine, expellantur corpora aliena, intelligi potest, cum nempe facilius ea materia tollatur, qua remota, via ad superficiem aperiatur. Sunt qui inflammationem a tardiore sanguinis motu deducere conentur: hi videant, ut caloris augmentum perpetuum cum hac opinione conciliare valeant; quod si ita fieri verum esset, id ad arteriarum minutarum contractionem simplicem referendum esset. Probabilior est HUNTERI sententia, qui relaxationem morbidam arteriolarum incusat; notatque dolorem in earum diastole praecipue sentiri, pressuraque levari; ideoque motum auctum solum non sufficere (*c*). BRANDIS vim ipsam vitalem, in

(*a*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 236.

(*b*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1704, by Mr. HOME.

(*c*) *John* HUNTER'S prim. Op. cit. p. 280.

in tela cellulosa solito fortius agentem, inflammationem credit constituere (a).

XII. In febribus alii vasorum motum auctum ipsum morbum, alii remedium morbi esse statuunt (b). Eum aliquando in inflammationem promovendam augeri vult MOORE (c): id a corde oriri in equilibrium nitente HUFELANDUS (d); qui etiam vires omnes corporis hoc modo a sensuum instrumentis aliisque nobilioribus facultatibus, ad animales tantum partes in materiam domandam revocari existimat (e): inde quaedam animalia febricitantia dormire. HOFFMANNUS & CULLEN eundem fere effectum respiciunt, cum a spasmo in partibus exteris, sanguinem versus internas

---

(a) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 32. p. 128. seq.

(b) SYDENHAM opera universa. L. B. 1726. 8. m. ac. s. 1. c. 4. p. 62.

STAHL theoria medica vera. Hal. 1708. 4. De scr. suis. p. 64.

HOFFMANN, respondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica, p. 12.

SCHAEFFER ueber Sensibilität. Francof. 1793. 8. p. 15.

(c) MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 10.

(d) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 198.

(e) HUFELAND Op. cit. p. 295.

duci afferunt (*a*). Paralyses, spasmos, arthritides, catarrhos, & morbos alios febre superveniente solvi teftatur BERGERUS (*b*); ulcus cruris, nafique inflammationem inveteratam a febre convaluiffe HUNTERUS (*c*). In multis autem febribus felix refrigerantium remediorum usus, credendum facit motum sanguinis inordinatum, vel cauffam eius proximam saepius morbum ipsum conftituere (*d*): fi autem in alium diverfi generis morbum incidat, hunc vel augere vel levare poteft. De opii effectu febrili longa eft quaeftio: id alii volunt solummodo ftimulare, viresque subito exhaurire; quae facilior videtur ratio: alii vim medicatricem contra sedantem huius facultatem niti, indeque tumultum inferre (*e*). HUFE-

---

(*a*) HOFFMANN, respondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica p. 11.

CULLEN'S firft lines of the practice of phyfic. Edinb. 8. 41.

(*b*) BERGER, respondente RICHTERO, de natura morborum medico. Vitemb. 1702. 4. S. 14. p. 29.

(*c*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and phyfiology, delivered in London, 1793, 1794, by Mr. HOME.

(*d*) GAUBII inftitutiones patholog. L. B. 1758. 8. p. 641.

BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 16. p. 69.

(*e*) *John* HUNTER'S Op. cit.

LANDUS, aliquanto melius, a virium aequilibrio derivare conatur, ut augeatur irritabilitas, sensibilitate diminuta (*a*). In exanthematibus, febris primaria ad faciliorem materiae secretionem conducere potest (*b*), secundaria ad cutem ab ea liberandam: ostendit autem hic etiam frigoris in moderanda febre utilitas, arteriarum motum facile nimium fieri. Videtur adeo eos errare, qui febres omnes ad salutaria naturae conamina referre student.

XIII. Antequam ad secretiones ceteras pergamus, consideranda est ea lymphae effusio, quae in decursu inflammationis glutinativae accidit; quaeque vel eam determinat, vel aliis usibus inservit. Terminatio ea an per vasorum depletionem, an per virium in actum novum aversionem, an alio modo efficiatur, non facile est dictu: usus autem, quibus inservit materia effusa multiplex est. Vulnera quae per sanguinem solum sanari non potuerunt, lympha glutinantur (*c*); dum por-

(*a*) HUFELANDUS Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 198.

(*b*) SCHAEFFER ueber Sensibilität. Francof. 1793. 8. p. 76., ad 78.

(*c*) HUHN commentatio de regeneratione partium mollium in vulnere. Goett. 1787. 4. p. 3. 16. & passim.

MOORE'S dissertation on the process of nature in the filing up of cavities. Lond. 1789. 4. passim.

tio eius interim exficcata, id quod subtus agitur defendit. Ab eadem saepe cavorum diversorum parietes inter se iunguntur; quo fit, ut & directe leniatur inflammatio, & spatium humorum morbidorum accumulationi non relinquatur. Obturantur aliquando hoc modo venae laesae (*a*), post puris absorptionem abolentur cava, in quae id abscesserat (*b*); idemque in hydrocele, hernia, pleuritide accidit, passimque in telae cellulosae affectibus. Ab ea effusione partibus suppurationi circumiacentibus cavetur, ne a pure laedantur (*c*): id cum in erysipelate non eveniat, latius hoc in morbo propagatur iniuria (*d*). Aneurismatum etiam devastatio retardatur. Inutilis autem subinde videtur haec secretio; inque suffocatione stridula noxia. Cum nova materia quaecunque paranda est, initium fit semper fere a lymphae effusione: eaque non raro tuberculorum minutorum formam, in ulceribus praesertim assumit; postea in partium subter-

(*a*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*b*) MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 39.

(*c*) MOORE'S Op. cit. p. 29.

(*d*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 365., ad 368.

iacentium naturam aliquatenus convertenda. Hoc per arteriarum consensum fieri existimat HUNTERUS; notatque cutis veteris vicinae morbum etiam in nova statim inveniri (*a*). Certe nisus ille formativus, aliis animalibus non negandus, homini iam maturo parcissime adesse videtur: semper enim in initio deforme est quidquid reponitur (*b*); id tempore procedente aliquantum quidem perficitur, vix unquam autem facultate ulla exquisitiori donatur (*c*). Vasa tamen nervique certo adesse videntur, quorum restitutio ad arteriarum motum referri non potest, nisi is ab eadem vi dirigi credantur, quae in generatione prima operatur; quare cum terminus incertus sit, simplicius erit omnia huiusmodi nisus formativi nomine coniunctim tractari. Hanc inflammationem comitatur saepe vel sequitur terminatque puris secretio; quae dolorem lenire, novaeque materiae parationi favere videtur

(*a*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 479.

(*b*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 178-. 4. P. II. p. 38.

(*c*) BLUMENBACH institutiones physiologicae. Goett. 1787. 8. p. 36. 460.

HUHN commentatio de regeneratione partium mollium in vulnere. Goett. 1787. 4. p. 8.

(*a*): aliquando morbida nocere. Pus exficcatum non raro omnibus emplaftris praeftat (*b*); principio flavius, poftea albidius effe debet; alio morbo intercedente aliquando supprimitur, vel ad lymphae speciem accedit (*c*). Lymphae aliquando & puri intervenit serum, eundemque fere usum in inflammatione praeftat.

XIV. Atque haec quidem saepius vel ab iis vasculis effunduntur quae nova sunt, vel quae sana nihil secernunt: praeterea secretiones ordinariae & auctae, & diminutae, & mutatae iuvare poffunt. Sudor (*d*) a calore nimio copiose profluit, non solum exhalatione refrigerante levamen ferens, sed vasorum etiam turgorem diminuendo; confertque plurimum ad immensam corporis humani facultatem caloris tolerandi. Et sudore etiam & urina nimium potúm avehunt. Subita aliquando sudoris profufio ventriculo succurrit,

(*a*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 371.

(*b*) MOORE'S differtation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 49. *John* HUNTER'S Op. cit. p. 216.

(*c*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and phyfiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*d*) BERGER, respondente RICHTERO, de natura morborum medico. Vitemb. 1702. 4. S. 20. p. 41.

nauseam depellendo; qui nexus inter cutem ventriculumque maxime notabilis eſt; cauſſa autem obscura: norunt ſtomacho laborantes quanta cruditas a cute frigida inertique proveniat. Perspiratione obſtructa, vicem eius aliquatenus explet urina; quae terminare etiam, aeque ac alvus, fertur hydropem, arthritidem, scorbutum, cachexiam (*a*); poſteriora quo iure dubium eſt: pusque per urinam excerni visum eſt (*b*). Glandula lacrymalis a ſtimulo vel oculis vel ductus lacrymalis viciniae applicato facillime ad noxam abluendam movetur: isque fluxus lacrymarum triſtitiam subinde levare videtur, an quia vasa crebro propinqua depleantur, incertum. Membranae omnes quae mucum parant, nares, bronchios, urethram, aliosque ductus veſtientes, ſtatim ac paulum inflammationis subierint, secretione & aucta, & extenuata, & magis vel minus in pus vergente, morbo subveniunt (*c*); cum enim in his glutinatio noceret, fit ſine lymphae effu-

(*a*) HOFFMANN, respondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica p. 13.

(*b*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and phyſiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*c*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 241.

fione, integra etiam membrana, suppuratio. Glandulae salivares a corporibus admotis, aquae cruditate, ad illa amovenda, hanc diluendam incitantur. Ventriculi succus facile mutatur; nam quae insueta sunt primo male digeruntur, paulatim bene ferri incipiunt; cuius rei exemplum insigne praebet aquila, animal pure carnivorum. HUNTERUS eo brevi produxit, ut esca demum farinacea sola bene nutriretur: quanquamque cibi varii simul quidem concoqui possint, tamen minus ex iis hauritur nutrimenti, quam cum ventriculi secretio ad singulos accommodetur. Iecur a materiae acris vicinia ad bilem subinde copiosius evomendam excitatur, ut eam severo remedio depellat; glandulae vasaque per intestina mucum distribuentia, eiusmodi irritamento ad diarrhoeae liquorem supplendum, prout fibrae musculares ad expellendum moventur: eam diarrhoeam mammis aliquando nimio lacte turgentibus succurrere profert e SMELLIO ingeniosissimus DARWIN (*a*): quod autem de absorbentium motu retrogrado suspicatur, id confirmatione egere videtur. Menses in hysteria bono eventu augeri dicuntur (*b*).

(*a*) DARWIN'S Zoonomia. London 1794. 4to p. 29. 7. pag. 337.

(*b*) HOFFMANN, respondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica p. 13.

XV. Fluxus autem menſtrui aliqua eſt cum haemorrhagiis affinitas, ubi arteriae humori alio deſtinatae sanguinem effundunt (a). Haemorrhoides hypochondriacis, melancholicis, nephriticis, iſchiadicis prodeiſſe feruntur; epiſtaxis phrenitidi, cephalalgiae (b). Quaecunque sanguinem ipsum parant inſtrumenta, copia eum maiori, vel etiam nimia, poſt evacuationes reſtituunt. Cum autem casu in motus commoditatem, aliumve usum, fluido aliquo opus fuerit, id facile suppletur; ut in articulis novis, geſtatione extra uterum; ubi ſinovia, liquor amnii, in promptu sunt: quinetiam carnis maſſam sub canis cute insutam quaſi a ventriculo ipso digeſtam, absorptionique paratam invenit iuvenis egregius ALEXANDER. Secretiones ſingulae a cauſſa particulari non facile diminuuntur; glandulae obſtructae materiam superfluam parare pergunt: cum vero fame vel ſiti imminuta ſit sanguinis quantitas, parcius is per varios ductus exhauritur. Caloris in corpore animali evolutio nullibi melius quam cum secretionibus tractari poteſt: ea prout opus eſt vel augetur vel

(a) BERGER, respondente RICHTERO, de natura morbor. medico. Vitemb. 1702., 4. S. 20. p. 41.

(b) HOFFMANN, respondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica p. 13.

diminuitur: augetur aliquando a stimulo frigoris: pisces ab HUNTERO glacie circumdatae multum eius solverunt: ovum vivum diutius frigori resistit quam mortuum. Hinc volunt quidem & HUNTERUS (*a*) & BRANDIS (*b*), vim vitalem directe in calorem agere; probabilius autem videtur chymicas etiam vires in auxilium vocari (*c*). Luculentissimo HUNTERI experimento constat thermometrum in urethra vivi mortuique corporis similiter expositi, discrimen non maius indicasse quam quod a circuitu sanguinis expectandum esset.

XVI. Volebant veteres, idemque credunt recentiorum multi, febres saepissime per materiae morbidae diversa sub forma excretionem terminari: hancque in iudicationem, crisinve nominant. A februatione febrem dici notat STAHLIUS (*d*). GRUNERUS veterum observationes plurimas collegit; is febres

---

(*a*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*b*) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 7. p. 21.

(*c*) METZGER ueber Irritabilität und Sensibilität. Königsb. 1794. 12. p. 9., ad 11.

(*d*) STAHL theoria medica vera. Hal. 1708. 4. Pathol. p. 349. 350.

variae indolis aliquando gangraena levari (*a*) confirmat, aliquando abscessibus, praecipue parotidum, aliarumque glandularum, exanthematibus, sanguinis e naribus, utero, ano, vesica, profluviis, sudore, saliva, sputis, urina nebulosa, vomitu, alvo, vel ex his pluribus simul; eaque omnia minutatim prosecutus est (*b*). SYDENHAMUS pestem optime per abscessum in emunctoriis solvi, febrem pestilentem per diaphoresin tradit (*c*). Plurima eiusmodi afferunt HOFFMANNUS (*d*) & BERGERUS (*e*). GAUBIUS crises apud nos ob frigus vitaeque rationem rariores esse existimat (*f*), materiaque morbidae in vasis sicut cibi in ventriculo coctionem laudat (*g*). HUFELANDUS antiqua cum recentibus

---

(*a*) HALLER, respondente PAPPELBAUM, de febre maligna per gangraenam soluta. Goett. 1744. A GRUNERO citatur.

(*b*) GRUNERI semiotice. Hal. 1775. 8. p. 696, ad 731.

(*c*) SYDENHAM opera universa; L. B. 1726. 8. M. ac. s. 2. c. 2. p. 115.

(*d*) HOFFMANN, respondente CELLARIO, de natura morborum medicatrice mechanica p. 13.

(*e*) BERGER, respondente RICHTERO, de natura morborum medico. Vitemb. 1702., 4. S. 16. p. 32. S. 20. p. 41.

(*f*) GAUBII institutiones patholog. L. B. 1758. 8. p. 891.

(*g*) GAUBII Op. cit. p. 637.

nectere feliciter saepe conatus est: hic veteres arcte sequitur: non solum cruditatis, coctionis, solutionisque stadia distinguit, sed diebus etiam criticis plurimum tribuit: id magni sane momenti & se, & GAERTNERUM expertum testatur, urinam morbo furente prorsus acido phosphorico carere; idque nubecula accedente reddi. Nemo certe graviora pro hac opinione argumenta protulit (*a*). HUNTERUS abscessum nunquam a morbo tantum universali oriri affirmat: eumque in febribus fortuitum esse, aliquando ob resorptionem noxium (*b*); affectionem autem localem totum corpus levare posse non negat. Eruptio miliaria iam pro morbi parte agnoscitur: conceduntque omnes, plura ex iis quae dicta sunt, saepe nocere (*c*): eadem arte educta vix unquam prosunt: quare non quidem contra tantos Viros has indicationes aliquando existere negandum est, cum etiam manifestum sit in intermittentibus a sudore levamen (*d*);

(*a*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie p. 253., ad 277.

(*b*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 436., 437.

(*c*) TRILLERI opuscula medica, T. 2. Francof. & Lips. 1766. 4. p. 286.

(*d*) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 38. p. 154.

cum aliis autem ſtatuendum videtur, eas multo minus frequentes minusque utiles eſſe quam veteres exiſtimabant.

XVII. Absorbentium vasorum quanquam fibrae musculares nondum visae ſint, tamen vix dubitandum eſt, quin eorum motus aeque ac arteriarum ab irritabilitate dependeat. Haec & in materia ipsa corporis per moram effoeta atque inutili facta, & in aliena variis modis introducta, removenda, communi, ut quibusdam placeat, cum venis funguntur officio; ut aliis, iisque gravioribus, solae agunt. Aer (*a*), sanguis (*b*), extra locum suum in corpore praesens, hydropis aquae, lac nimium (*c*), utque quibusdam videtur, etiam semen, in absceſſum resolutione pus ipsum (*d*), per hos canales paulatim in sanguinem circumeuntem feruntur, inde per excretiones amovenda. Corpora aliena solidiora, ſi per secretionem temporariam emolliri poſſunt, partesque corporis ipſius emortuae aut moribundae (*e*)

(*a*) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft, Hannov. 1795. 8 p. 32. Ex ALBERNETHY.

(*b*) MOORE'S diſſertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 15.

(*c*) DARWIN'S Zoonomia. Lond. 1794. 4. S. 29. 7. p. 337.

(*d*) MOORE'S Op. cit. p. 38.

(*e*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and phyſiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

ita consumuntur. Id si fieri non potest, pressurae stimulo mota absorbentia, eam partem quae fortius inflammata est, quaeque saepius inter materiam alienam exitumque maxime propinquum commodumque interiacet, corrodere incipiunt: idque eo usque prosequuntur, dum hospes molestus submoveatur, urgente simul posterius vel partium subiacentium contractione, vel novae materiae tuberculis; via interea lympha coagulata, ne vicinia laedatur, munita. Comitatur hanc absorptionem saepius suppuratio, praesertim in loco superficiei propiori: aliquando abest, ut in aneurismate; cui carnes atque ossa facile cedunt. Cuticula nunquam absorbetur (*a*). Musculi otiosi absorptione extenuantur; nimis longi abbreviantur: utriusque exemplum praebent musculi suram constituentes; osse fracto emarcescentes, tendinique Achillis a reparatione longiori, brevitate se accommodantes. Corpus totum in atrophia febribusque utiliter emaciari suspicatur HUNTERUS. Cutis post vulnera ad ea facilius occludenda contrahitur; absorbentibus forsitan iuvantibus: partes etiam ceterae circumiacentes attenuantur, ut omnia facilius com-

(*a*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

planentur (*a*). Tumores, remota ad morbum propenfione, fimplici absorptione melius quam ulceratione consumuntur; aliquando quafi corpora aliena ad superficiem ducuntur, deinde inflammatione excitata cutem perforant (*b*). Adeps ad corporis fame exhaufti suftentationem consumitur. Humor in diabete ex aere per cutem hauritur. Offis fracti asperitates callo non obductae removentur, vel ut carnes non laedant, vel ut cartilagine articulari induantur; ftimulanti in id frictione. Callus nimius amovetur, dirigente forfitan nisu formativo. Dentes cum exciderint, eorum alveoli complanantur: offis proceffus poft luxationem inutilis, absorbetur. Offium, carnium, vel cuiusvis generis pars mortua, fi vires superfint, non usque adeo putrescit dum excidat, quod plura incommoda afferret; sed nexu inter eam & id quod sanum eft exeso, in speciem fere in offibus ligni ab insectis infeftati, nitide deciditur. Id in offibus exfoliatio dictum eft; vult WEIDMANN separa-

(*a*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. P. II. S. 27. E diverfis Auctoribus.

(*b*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and phyfiology, delivered in London, 1793., 1794. by Mr. HOME.

sionem nominari; qui bene descripsit (*a*). In ossibus rarioribus fit ea aliquando intra triginta dies; in solidioribus aliquando ad nonaginta continuatur. De vivo praecipue osse mortuum contingente, terra prius absumitur; deinde gluten ipsum (*b*), novaeque materiae tubercula mortuam detrudunt: aliquando autem eam, absorbentium scilicet suorum ope, perforant (*c*).

XVIII. De iis iniuriis quae nisus formativi ope reparantur agentibus, id in memoria retinendum est, nos nomine nisus formativi aliquid designare, quod non solum non perfecte intelligamus (*d*), sed multo etiam minus quam irritabilitatem, sensibilitatemve, quippe quae paucioribus simplicioribusque legibus subiectae sint; haec autem facultas in tenebris miracula agat. Sanguinis frigidioris animantia ea vi multo plus quam calidioris pollere notissimum est; polyporum redinte-

(*a*) WEIDMANN de necrosi ossium. Francof. 1793. f. p. 23., ad 25.

(*b*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*c*) *John* HUNTER'S Op. cit.

(*d*) BLUMENBACH de vi vitali sanguini neganda. Goett. 1795. 4. p. 4. — Syllog. Opusc. Vol. I.

[illegible] menschlichen

79[illegible]

(e) ME[illegible]ER ueber Irritabilität und Senſibilität. Königsb. 1794. 12. p. 13., 14.

(c)
mollium

(d) HA
1778. 4. p. 169.

(e) MOORE'S differtation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 63.

deunt: eaque massa mox in membranae cellulosae speciem, inve aliam convertitur. Quo hoc fiat modo minime innotuit; potest autem motus sanguinis in venulis oppositis talem stimulum ad arteriolas transmittere, ut hae se versus illas protrudant, inque eas demum inserantur (*a*); vel cum non semper ex utraque parte opponantur vascula, potest materiae effusae contactus vasa ad laterales ramos venulis & arteriolis communes emittendos incitare. Vasa vetera extendi, novaque iis adiungi credit HUNTERUS (*b*); etiam ora se per consensum amplexari, vasculaque a secretoriis circulatoria fieri. Eiusmodi coniunctionem negat MOORE (*c*); exemplum autem pulcherrimum atque singulare ex oculo adducit HUNTERUS, ubi corneae arteriola dissecta post breve tempus iterum coalescit (*d*). Idem in coagulo ipso vasa nasci suspicatur: credit enim se eorum rudimenta per iniectio-

(*a*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 482.

(*b*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*c*) MOORE'S differtation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 17.

(*d*) *John* HUNTER'S prim. Op. cit. p. 193., not.

nem implesse, antequam ulla e vicinia vascula accederent (*a*). In vulneribus sine contusione factis, quaeque nihil materiae ademerint, sanguis ipse effusus primum eras coniungit, deinde vasis receptis nexum solidum sincerumque facit, mox aliquantulum in partis laesae naturam assimilandus. Vasa in cerebri nova materia implevit ARNEMANNUS (*b*); in aliis partibus alii (*c*): sed tantummodo minora: fibris muscularibus, ut QUESNAIO, nervisque, ut aliis placebat, donari non credit HALLERUS (*d*). Demptis in cane tunicis arteriae carotidis externis partes circumiacentes coierunt & aneurisma praecaverunt (*e*). Absorbentia cum novis carnibus renasci, parum dubium est: ea tuberculis prodeuntibus adesse ex eo arguit MOORE, quod saepe salivationes e mercurialium in ulceribus usu occurrant (*f*).

(*a*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 92.

(*b*) ARNEMAN Versuche ueber die Regeneration an lebenden Thieren. Goett. 1787. 8. 2t. T. II. p. 205.

(*c*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. P. II. p. 13.

(*d*) HALLER elementa physiologiae, t. 8. Laus. 1778. 4. p. 171.

(*e*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*f*) MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 35.

XX. Minores nervorum ramulos partibus regenitis non deesse probabile est. Tubercula recentia acute sentire, ideoque nervos inesse tradit MOORE (*a*); eos autem, sicut vasa, cicatrici minus copiose tribui; quae etiam papillis, tactus instrumentis, omnino careat (*b*). Ossi novo adesse nervos affirmat BRANDIS (*c*). Alii materiae nascenti sensum negant (*d*); neque cicatrici concedunt (*e*). Nervorum autem maiorum laesorum aut divisorum difficillima est restitutio. Confirmabant olim alii, eos perfecte in quadrupedibus redintegrari; inque homine ipso sensum post biennium redire: ea alii negabant. Dubitationem autem omnem per experimenta numerosa accuratissime in animalibus instituta ARNEMANNUS demum sustulit, vir & ingenio & morum comitate insignis. Invenit enim, extremitates nervorum ma-

(*a*) MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 35.
(*b*) MOORE'S Op. cit. p. 53.
(*c*) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 27. p. 106.
(*d*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. Exp. 6. p. 13. P. II. p. 16., 25.
HUHN commentatio de regeneratione partium mollium in vulnere. Goett. 1787. 4. p. 12.
(*e*) MURRAY Op. cit. P. II. p. 30.

iorum diffectas in schirri speciem abire: motum aliquando restitui (*a*), sensum nunquam: tamen animalia miro modo sine nervorum multorum auxilio vivere posse. Utrinque par vagum, alterum intercostale, utriusque cruris antici nervos maiores, ambosque ischiadicos dissecuit; neque mortuum est animal, neque membra emarcuere (*b*). Minores nervi, modo in contactu mutuo retinerentur, aliquando ita conglutinabantur, ut etiam sensus maneret (*c*). Canem intra sex menses post nervos divisos vocem recepisse affirmant CRUIKSHANKIUS, & HAIGHTONUS: de sensu nihil videntur observasse (*d*). Notabile autem est, cum nervi tam imperfecte restituantur, tamen medullae spinalis duabus tertiis dissectis, motus facultatem rediisse (*e*); cerebrumque ipsum inter eas partes numerari posse, quae proxime

(*a*) ARNEMAN Versuche ueber die Regeneration an lebenden Thieren. Goett. 1787. 8. 2t. T. I. p. 251., & passim.

(*b*) ARNEMAN Op. cit. T. I. p. 261.

(*c*) ARNEMAN Op. cit. T. I. Exp. 60. p. 60., Exp. 65. p. 65., p. 216.

MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 70.

(*d*) Philosophical transactions for 1795., p. I. Lond. 4. p. 73.

(*e*) ARNEMAN Op. cit. T. II. p. 84. t. 6.

ad pristinam integritatem accedant: vulnera eius partim tela cellulosa, partim materia corticis cerebri non dissimili impleantur, quam usui proprio inservire ARNEMANNUS existimat (*a*).

XXI. Cum pars quaecunque corporis sanguine non destituta, ita laesa fuerit, ut vacuum super iniuriam, cavumque spatium pateat, post inflammationis saepiusque suppurationis accessum, effunditur lymphae portio, colore albido, vel in ossibus ad caeruleum (*b*), aut rubellum (*c*) vergente; haec coagulata mox vasa & nervos recipit (*d*), tuberculorumque formam assumit, quae quanto minora & rubriora tanto saniora sunt (*e*): ea deinde paulatim confirmantur; pusque & lympham

(*a*) ARNEMAN Versuche ueber die Regeneration an lebenden Thieren. Goett. 1787. 8. 2t. T. II. p. 187., seq.

(*b*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*c*) WEIDMANN de necrosi ossium. Francof. 1793. f. p. 32.

(*d*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. Exp. 6. p. 13. P. II. p. 16., 24.

(*e*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 478.

in usum ulteriorem deferunt (*a*): ubi fieri potest contractione sua partes circumiacentes, ut labori parcatur, undique attrahunt (*b*); postea denique in loci naturam magis vel minus assimilantur (*c*). In abscessuum aeri expositorum (*d*) fundo, subque corporibus ulceratione dimovendis, pullulat saepius huiusmodi materia: ea raro sine pure; aliquando tamen (*e*) producitur. Nihil autem perfectius hoc modo restituitur, quam tela cellulosa: in quam etiam transitus à sanguinis lymphaeve coagulo facillimus est (*f*); unde ea defectus plurimos supplet. Corpora aliena non expel-

(*a*) *John* HUNTER'S treatise on the b'ood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 478.

~~(*b*) *John* HUNTER'S Op. cit. p. 483.~~

(*c*) HALLER elementa physiologiae, t. 8. Laus. 1778. 4. p. 170.

RICHTER Anfangsgründe der Wundarzneykunst. Goett. 1787. ad 1790. 8. 3t. T. I. S. 277.

MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. P. II. p. 24.

HUHN commentatio de regeneratione partium mollium in vulnere. Goett. 1787. 4. p. 12.

MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 35.

John HUNTER'S Op. cit. p. 473., seq. p. 477.

(*d*) MOORE'S Op. cit. p. 38.

(*e*) *John* HUNTER'S Op. cit. p. 475.

(*f*) HALLER Op. cit. p. 179.

lenda hac frequentius circumdantur; globuli plumbei (*a*), spinae, acus (*b*), aliaque; etiam calculi vesicae; foetum ita involutum octo annos extra uterum mansisse testatur BLUMENBACHIUS (*c*). Ea membrana prout opus sit facile protrahitur; quod in pulmonum, intestinorum, etiam tendinum renatorum (*d*), cum vicinis partibus nexu, ad motum permittendum evenit. Scrotum in hydrocele in immensam magnitudinem sine dolore augetur. Confert forsan ad id contractilitatis remissio, interposita simul nova materia (*e*). Nullas membranis perfecte renasci affirmat ARNEMANNUS (*f*): alii os novum medullari membrana vestiri (*g*): pericranium-

---

(*a*) MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 27.

(*b*) HALLER elementa physiologiae, t. 8. Laus. 1778. 4. p. 180., e BORDENAVE.

(*c*) BLUMENBACH ueber den Bildungstrieb. Goett. 1791. 8. p. 70.

(*d*) MOORE'S Op. cit. p. 67.

(*e*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond 1794 4. p. 486.

(*f*) ARNEMAN Versuche ueber die Regeneration an lebenden Thieren. Goett. 1787. 8. 2t. T. II. p. 208.

(*g*) WEIDMANN de necrosi ossium. Francof. 1793. f. p. 33.

que, vel membranam similem, restitui (*a*); non autem duram matrem (*b*). Membranam mucosam urethrae, faucium, bronchiorum, intestinorum, post ulcerationem reparari testatur MOORE (*c*). Novis articulis ligamentum capsulare, e tela cellulosa compactum, circumponitur.

XXII. Quaedam autem sibi propria habet cutis regeneratio; inque eo crystallizationi similis est (*d*), quod nova a veteri saepius excrescat, statim ab initio specie cutis; raro simul a puncto uno atque altero ab ulceris oris distanti incipiens: etiam morbis cutis adiacentis laborat, ut multum hic consensus valere videatur. Si id cutis cetera admittit, multo minor fit cicatrix quam fuit vulnus, aliquando vigesimam tantum superficiei eius partem aequans (*e*): quam minimam

(*a*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. P. II. p. 37.
HUHN commentatio de regeneratione partium mollium in vulnere. Goett. 1787. 4. Exp. 2.

(*b*) MURRAY Op. cit.

(*c*) HAASIUS de tunicae villosae renovatione. Altorf 1735. Citatur a MURRAY.
MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 70.

(*d*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 488.

(*e*) HUHN Op. cit.

autem fieri ea etiam de cauſſa utile eſt, quod priſtina cute debilior ſit, ulcerationemque facilius ſubeat. Nunquam aut libero fruitur motu nova cutis (*a*), aut contractilitate donatur (*b*); quare iure imperfecta dicitur (*c*); albida eſt, quia pauca sunt vasa; nitida, quia papillae nullae: pellibus etiam animalium maceratis excidit (*d*). Rete mucosum alii renasci negant, alii affirmant (*e*): cum id revera inconſtans ſit. Aethiopibus modo pallidior, modo nigrior eſt reliqua cute cicatrix (*f*). Cuticula cicatrici a quibusdam denegatur (*g*); forsan quod praemature quaeſierint: teſtantur enim HUNTERUS & MOORE epispaſtico vel maceratione epidermidem perfectam separari poſſe: tamen hanc primo pulposam eſſe, multotiesque ante decidere quam

---

(*a*) *John* HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 490.

(*b*) *John* HUNTER'S Op. cit. p. 492.

(*c*) HUHN commentatio de regeneratione partium mollium in vulnere. Goett. 1787. 4. p. 20.

(*d*) HALLER elementa phyſiologiae, t. 8. Laus. 1778. 4. p. 180., e BORDENHAVE.

(*e*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. P. II. p. 32., e CAMPERO.

(*f*) MOORE'S diſſertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 53. *John* HUNTER'S Op. cit. p. 493.

(*g*) HUHN Op. cit. S. 5., e MONRO.

firma maneat (*a*). Cuti integrae facillime redditur. In pedibus manibusque, a frequenti violentaque compressione, incrassatur cuticula, inque callum abit. Ungues avulsos suppleri quotidianum est: eos autem ad apicem articuli secundi digitorum, amisso primo, nasci, aliquanto rarius (*b*). Pili, si penitus adempta fuerit cutis, eorumque adeo radices secum abstulerit, nunquam redeunt, cum nulla glandula renascatur (*c*): si autem radicum basis relicta sit, restituuntur pili (*d*). Villi, vellera, capilli, frigore roborantur, ut ei scilicet resistere possint.

XXIII. Musculi singuli, quibus praecipue utuntur athletae opificesque varii mole & robore notabiliter augentur: urinae bilisve ductu calculo obturato, incrassatur vesica ad

---

(*a*) MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 51., 55.
John HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 492.
(*b*) TRILLERI opuscula medica, t. 2. Francof., & Lips. 1766. 4. p. 291.
BLUMENBACH ueber den Bildungstrieb. Goett. 1791. 8. p. 98., e PECHLINO & TULPIO.
(*c*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. Exp. 20. P. II. p. 36.
MOORE'S Op. cit. p. 67.
(*d*) MOORE'S Op. cit. p. 57.

humorem expellendum. Musculus autem vulneratus tela cellulosa reparatur; fibrae ipsae non regenerantur (*a*), ubi enim iunctio facta est, ibi in contractione nullus tumor eit (*b*). Eadem etiam membrana musculus laceratus, vel in os infigi (*c*), vel cum partibus circumiacentibus necti potest (*d*). Rupto tendine interponitur primo coagulum sanguinis; quod deinde lymphae similius devenit; postea carnosa specie (*e*), postremo tendinea est (*f*). Aliquando tendo per lympham effusam sine suppuratione sanatur (*g*); aliquando suppurat. In cane fila tendinea ab osse renato in acera-

(*a*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. P. II. S. 5.
HUHN commentatio de regeneratione partium mollium in vulnere. Goett. 1787. 4. S. 22.

(*b*) MOORE'S differtation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 67.

(*c*) MURRAY Op. cit. P. II. S. 13., e DUHAMEL.
WEIDMANN de necrosi ossium. Francof. 1793. f. p. 33.

(*d*) HALLER elementa physiologiae, t. 8. Laus. 1778. 4. p. 180.

(*e*) MURRAY Op. cit. P. II. S. 5.
HUHN Op. cit. S. 12., 21.

(*f*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*g*) *John* HUNTER'S l. c.

bulum transeuntia invenit KOELER (a). Patellae fractae partes si proxime a se invicem absint, callo sicut ossa cetera iunguntur (b); sin remotiores sint, sinovia, ut MOORIO placet, ossis formationem impediente, cum adiacente membrana cellulosa per lympham effusum nectuntur; eaque membrana mox liberior fit; tendinem imitatur, motuique optime inservit (c), quem callus longus non permisisset. Multo magis frequens est hic exitus (d); fit autem citius iunctio per callum.

XXIV. In ossibus ideo perfectior est redintegrationis facultas (e), quia simplici structurae atque usui facilius suppleri potest. Id errore miro negabant veteres (f): recentiores abunde celebraverunt. Cum fractum fuerit os quodcunque, redundat lympha e parti-

---

(a) KOELER experimenta circa regenerationem ossium. Goett. 1786. 8. Exp. 1. p. 53., 54.

(b) SCHAEFFER ueber Sensibilität, Francof. 1793. 8. p. 76, ad 78.

(c) MOORE'S dissertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 73.

(d) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. P. II, p. 2.

(e) MURRAY Op. cit. P. II. p. 28.
WEIDMANN de necrosi ossium. Francof. 1793. f. p. 27.

(f) HIPPOCRATIS opera, FOESII. Francof. 1595. f. Aph. VI. 19.

bus circumiacentibus, maſſamque carneam (a) componit, quae principio deformis eſt (b), atque omnia oſſis fragmenta complectitur; mox cartilaginea fit, in cranio autem membranacea; deinde deponitur paulatim circum arterias (c) oſſea materia, initio ab oſſe veteri, aeque aliis quibusdam punctis sumpto (d); formaque aliquatenus priſtina & usus reſtituitur (e). Non autem semper oſſi vero ſimilis eſt hic callus; modo fibrosus, modo ebori ſimilis, denſiorque quam os reliquum (f): ſicutque cuti cicatrix minus firme adhaeret, ita nec hic intime cum veteri oſſe coalescit; orbem enim illum qui foramen a modiolo factum implet poſtea extrudi saepe poſſe tradit RICHTERUS (g). De calli fontibus variae sunt sententia (h); quidam a perioſteo prope

---

(a) HUHN commentatio de regeneratione partium mollium in vulnere. Goett. 1787. 4. p. 23.

(b) MOORE'S diſſertation on the process of nature in the filling up of cavities. Lond. 1789. 4. p. 71.

(c) MOORE'S l. c.

(d) MOORE'S Op. cit. p. 74.

(e) WEIDMANN de necroſi oſſium. Francof. 1793. f. p. 33.

(f) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. P. II. p. 12.
WEIDMANN Op. cit. p. 32.

(g) RICHTER Anfangsgründe der Wundarzneykunſt. Goett. 1787., ad 1790. 8. 3t. T. II. S. 199.

(h) MURRAY Op. cit. P. II. p. 12.

solo derivari volunt (*a*); quidam ex osse praecipue; sique auxiliatur periosteum, tamen os adeat necesse esse, ut vasa per consensum ad osseae materiae depositionem moveantur (*b*). Proferuntur contra experimenta, ubi os totum sublatum erat, & periosteo solo renatum (*c*). Videtur autem, omnia ea quae adiacent, aliquid ad callum conferre (*d*). Is in planis ossibus tardius producitur (*e*): cuboidea non regenerari affirmat WEIDMANN (*f*). Senibus gravidisque difficile coeunt ossa.

XXV. Capite integro femoris in cane exciso, locum implevit massa rotunda motui bene accommodata (*g*). In necrosi cum interna

pars

(*a*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. P. II. p. 12.
WEIDMANN de necrosi ossium. Francof. 1793. f. p. 31.
(*b*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794. by Mr. HOME.
(*c*) WEIDMANN Op. cit. p. 32., e TROJA, BLUMENBACH, DESSAULT, & KOELER.
(*d*) ARNEMAN Versuche ueber die regeneration an lebenden Thieren. Goett. 1787. 8. 2t. T. II. p. 201., ad 204.
MURRAY Op. cit. P. II. S. 12.
WEIDMANN Op. cit. p. 32.
(*e*) WEIDMANN Op. cit. p. 30.
(*f*) WEIDMANN Op. cit. p. 32.
(*g*) KOELER experimenta circa regenerationem ossium. Goett. 1786. 8. Exp. 1. p. 53. 54.

pars offis vires vitamque perdiderit, circumponitur externe quantum ad membrum sustinendum sufficiat. Corticem autem aliquando tantum intumescere, nec novum os opponi refert WEIDMANN (*a*). Cum cortex etiam mortuus sit, adiicitur tamen adhuc ab exteriori parte nova materia; nihiloque minus in articulis ipsis, ubi a ligamentis nasci videtur (*b*). In vertebrarum carie excrescit saepe os ad eam partem fulciendam in quam fit incurvatio (*c*). Dentes cum detriti sint, intus materia non propria quidem, offea tamen reficiuntur (*d*). Cum femoris vel humeri os luxatum sit, neque in locum repositum, urgetur id in pelvem scapulamve, pressuraque inflammationem incitat; quae ad offeam materiam effundendam tendit: ea in centro excrescere nequit, cum ibi potius ob compressionem vetus absorbeatur, in marginem itaque acetabuli specie elevatur, articuloque novo inservit

(*a*) WEIDMANN de necrosi offium. Francof. 1793. f. p. 31.

(*b*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794. by Mr. HOME.

(*c*) *John* HUNTER'S Op. cit.

(*d*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. P. II. S. 28., e DETLEFF.

(*a*). Exempla praebent non raro ossium morbosorum thesauri (*b*). Motus autem non semper perfecte restituitur. Leporis pede amisso prodiit in auxilium massa deformis ossea (*c*): quae potius inflammationis sequela quam nisus formativi effectus fuisse videtur. Singularis autem est eius ossis generatio quo foetus per quadraginta sex annos indutus in abdomine mansisse dicitur (*d*), cum hoc officium saepius a membrana cellulosa praestetur. Ossa triquetra in hydrocephalicis ideo nasci existimat BLUMENBACHIUS ut expeditius obtegatur maior moles (*e*). Si suppuratio ossi accesserit, materia nova tuberculorum forma pullulat; tardius autem quam in ceteris partibus (*f*); idem aliquando sine suppuratione accidit (*g*): parsque mortua absorbentium ope iam

(*a*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*b*) BLUMENBACH ueber den Bildungstrieb. Goett. 1791. 8. p. 7.

(*c*) BLUMENBACH Op. cit. p. 100., e MORANDO.

(*d*) CAMERARIUS, respondente ORTHIO, de foetu osse involuto. Tubing. 1720. 4.

(*e*) BLUMENBACH ueber den Bildungstrieb. Goett. 1791. 8. p. 72.

(*f*) HUHN commentatio de regeneratione partium mollium in vulnere. Goett. 1787. 4. S. 12.

(*g*) *John* HUNTER'S Op. cit.

soluta ab eiusmodi massa detruditur. Ossa non videntur membrorum usu augeri. Cartilaginem etiam renasci negabant antiqui (*a*); idemque fere HALLERO placuit (*b*); alii satis refutarunt. Si enim cartilago laesa in os convertenda erat, ea osse reparatur; sin minus, cartilagine, ut in aure, naribus (*c*), trachea (*d*). Testaturque HUNTERUS eam in morbis articulorum ita destructam, ut asperitas motu sentiatur, postea perfecte convalescere (*e*).

XXVI. Ubi sensibilitas aliquid ad morborum depulsionem confert, id saepius voluntate intercedente efficitur. Pro lege universali, in omnium animalium conservationem necessaria, haberi potest, placere quae prosint, dolere quae noceant: vel ut aliis verbis dicatur, ea quae in praesens, iucunda sunt,

I 2

(*a*) HIPPOCRATIS Opera, FOESII. Francof. 1595. f. Aph. VI. 19.
CELSI de medicina libri octo. L. B. 1730. 8. VIII. 7.

(*b*) MURRAY de redintegratione partium corporis animalis. Goett. 1787. 4. P. II. S. 29.

(*c*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794. by Mr. HOME.

(*d*) MURRAY Op. cit. P. II. S. 16.

(*e*) *John* HUNTER'S Op. cit.

futura etiam commoda post se trahere: atque haec positio tanto fere frequentius vera quam falsa invenitur, quanto in tota rerum natura bonum malo praeeminet. Ab externis rebus vix accidit iniuria sine subito doloris sensu; non latet vulneris inflictio, neque ignis applicatio. Rupto musculo vel tendine homo sibi permissus nunquam uti conatur; neque plus in eos arbitrii quam in cor habet, nisi aliquando ab animi affectu violento moveatur (*a*). Ligamento vim passa doloris sensum accipiunt, quo sani carent; ut scilicet quiete fruantur (*b*). Nimia sensuum singulorum excitatio dolet: meridiani solis radii oculos avertere cogunt; fragores subiti auribus ingrati sunt. Olfactu materiam putrescentem fugere monemur, quae morbos, rarius forsan quam vulgo creditur, tamen aliquando certe producit: idem aeque ac gustus cibos noxios aversari iubet: quanquam homo, praesertim cultior; multo minus his facultatibus quam alia animalia valeat. Cutis pruritus in munditiem tendere videtur (*c*). Calor nimius ad

---

(*a*) *John* HUNTER'S lectures on surgery and physiology, delivered in London, 1793., 1794., by Mr. HOME.

(*b*) *John* HUNTER'S Op. cit.

(*c*) *John* HUNTER'S Op. cit.

aerem, frigus ad solem quaerendum instigat. Stimulus eorum, quae e corpore excernenda sunt, ad varias evacuationes excitat. Motus iusto vel maior vel minor, lassitudinem aut taedium inducit; quorum hic ad laborem, ille ad requiem somnumque impellit. Solitudo, tristitiam, morositatem, cruditatem secum ferens, a propensione naturali ad frequentiam hominum colendam, a coetibus publicis, ab amore, a coniugio debellatur. Hinc thermae celebritate fruuntur, quae ipsa magis ex se, quam ex aquarum virtute sustinetur. Urbis contra satietas, accedente grata vice veris & Favoni, ad rus beatum reducit.

XXVII. Sitis famesque, si morbi merentur appellari, in remedium directe tendunt. Videtur sitis a pharyngis praesertim siccitate oriri, cum ob humoris in corpore defectum minus copiosa fiat secretio. Fames praecipue in ventriculo sentitur, e consensu cum systemate universo deficiente nata; qua consensus facultate ventriculus longe ante omnia alia pollet: aliquid etiam ad famem conferre potest irritabilitatis in ventriculo accumulatio; si autem ea sola esset caussa, fames per somnum plurimum augeretur. In his omnibus nondum certo distincteque determinatum est, quantum naturae, quantum experientiae debeatur. Suspicatur HUNTERUS, infantem etiamsi

ſine cerebro naſceretur, ſi forte caderet brachia extenſurum fore: id creditu difficile eſt. Famem autem etiam ante experientiam ad cibum ſumendum incitare, olfactumque ad eum ducere poſſe, pulcherrimum GALENI experimentum docet, hoedo e matre exſecto inſtitutum. Neque id viris quibusdam ſummis (a) facile concedendum eſt, omnes huiusmodi inſtinctus ad ſimplicem experientiam traditionemque quandam referri poſſe, cum plurima tamen ſint in rerum natura, de quibus modeſte ignorantiam fateri debemus; quae autem vulgus, nunquam ſine cauſſae umbra contentum, errore ex altera parte ignaviori, a Dei omnipotentis, quaſi ὑετὸν διὰ κοσκίνου οὐροῦντος (b), propria directaque operatione deducit: contra quod cum olim niterentur Philoſophi praeſtantiſſimi, a nubibus nec a Jove & fulmen & imbres naſci affirmantes, a comicis pro profanis traducebantur. Cibus autem nolenti ſtomacho non eſt obtrudendus: ut magis dubia omittam, exemplum vidit HUNTERUS ubi per decem dies nihil aſſumptum eſt, idque bene ceſſit. In morbis ſaepe ſalutari fine appetitus excitantur (c): neque his temere

(a) DARWIN'S Zoonomia. Lond. 1794. 4. p. 16

(b) ARISTOPHANES.

(c) GAUBII inſtitutiones patholog. L. B. 1758. 8. S. 643.

adversandum est. A doctissimo BAKERO demonstratum est, indulgentem sibi modice hydropem non magis crescere quam sitientem (*a*): veteres cum violentius oppugnarent, cibumque etiam necessarium denegarent, miseris aliquando modis aegrum necabant (*b*). In febre frigidae potio copiosa sanitatem non raro restituit; aliquando vero nocere potest. Caloris intolerantiae iam per modicum frigus obsequuntur Medici peritiores; olim stragula in perniciem coacervabantur. Denique hoc agmen insigni exemplo claudere potest ars ipsa medicinae (*c*); quae cum omnes apud gentes inveniatur; homini naturalis dici potest; neque tamen constantius salutaris fuisse videtur quam ceterae corporis vires.

XXVIII. Iam ad ea transeundum est quae ex vis vitalis diversa copia pendent. Hac in re lex ferme universalis confirmari potest, in valetudine, moribus, artibus, gravissima: vires nempe a stimulo applicato in

(*a*) Medical transactions by the college of physicians. Lond. 1768., ad 1786. 8. 3t. T. II. p. 235. Citatur a DARWINO.

(*b*) CELSI de medicina libri octo. L. B. 1730. 8. III. 21.

(*c*) GAUBII institutiones patholog. L. B. 1758. 8. S. 643.

praesens exhauriri (*a*); postea autem, quantum permittit corporis robur, maiori copia reddi (*b*): contra detracto stimulo in praesens accumulari, deinde paulatim minui. Utque alii motus, ita ii qui morbos constituunt, eodem stimulo incitari per usum desinunt (*c*). Rustici cum ad magnas urbes accedunt, in morbos praecipue eos qui contagione propagantur, facile in initio incidere solent: cum aliquamdiu ibi habitaverint, minus ab omnigenis effluviis afficiuntur. Nosocomae, medici, natu maiores, contagiones temnunt ceteris lethales (*d*). Hanc tamen consuetudinem alios morbos inferre existimat HUNTERUS: eamque quasi ignaviam saepe medicina tollendam esse HUFELANDUS (*e*): tamen in coctionis

---

(*a*) SOEMMERING vom Bau des menschlichen Koerpers. t. 5. Francof. 1701. 8. S. 184.
BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 35. p. 140.
(*b*) SOEMMERING l. c.
(*c*) HIPPOCRATIS Opera, FOESII. Francof. 1595. f. Aph. II. 50.
GAUBII institutiones patholog. L. B. 1758. 8. S. 644.
DARWIN'S Zoonomia. Lond. 1794. 4. S. 33. 2., ad 5. p. 399.
HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 163., ad 165.
(*d*) HUFELAND Op. cit. p. 7.
(*e*) HUFELAND Op. cit. p. 187.

ſtadio utilem eſſe concedit (*a*). Cum vero propria variolarum, morbillorum, pertuſſis, contagio semel in corpus egit, ita exhauſta eſt eam materiam secernendi facultas, ut nullus superſit recidivae locus (*b*). Quibus autem sub conditionibus eo tantum usque hanc legem operaturam expectandum ſit, ut facultas exhauſta maneat, maior eius copia nunquam redeat, id sola docet experientia (*c*). Suspicari etiam licet complures morbos ea de cauſſa decrescere, quod materia ea quaecunque motus morbidos excitat, in partes iam ſtimulo aſſuetas amplius agere nequeat. Valetudinarios saepe longaevos eſſe memorat GAUBIUS (*d*). Dolor omnis & triſtitia spatio ipso levatur, nec minus fugax eſt gaudium: cum modica homini tutiora ſint. Calorem facile ferre fabri discunt, quique metalla fundunt; carbones candentes in os iniicere circulatores quidam audent, tabaci fumum haurire gentes prope integrae. Vapori arctico, calorique tropico, aſſuescitur idem homo. Lux quae ſtatim e tenebris venienti dolorem facit, mox facile ſuſtinetur.

(*a*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 256.

(*b*) DARWIN'S Zoonomia. Lond. 1794. 4. S. 33. 2., ad 5. p. 399.
HUFELAND Op. cit. p. 7.

(*c*) HUFELAND Op. cit. p. 167.

(*d*) GAUBII inſtitutiones patholog. L. B. 1758. 8. S. 644.

Syenenses olim cataduporum sonitum hebetato aurium sensu melius ferre, nescio an vere, dicebantur. Culicum cimicumque puncturae a consuetis vix sentiuntur.

XXIX. Viscera etiam stimulos insolitos sufferre discunt. Homini qui diu vini Lusitani congium, spiritusque destillati libras duas quotidie ingurgitaverat, viscera omnia post mortem sana atque firma inventa esse traduntur. Alii in cibum concoquendum quotidie tribus quatuorve tartari emetici granis opus erat: is autem non multos menses vixit. Salis GLAUBERI libram dimidiam quotidie sumtam esse refert HUFELANDUS (*a*). Opii tantum multi libenter devorant, quantum hominem sanum occideret. Tabacum varia in forma usu fit gratum (*b*). In his videtur & sensus consuetudine diminui, & irritabilitas ita accumulari, ut nisi a stimulo solito abducatur, nimia copia molesta sit. Variarum autem in corpore virium communio ea, qua impertitur ex hac parte, in refectionem illius, portio vis vitalis, quaedam adversus morbos auxilia affert. Huic debetur levamen istud breve quod in animi defectione subvenit. Dolor acutus, pavor, moeror subitus, gratum obli-

(*a*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 164. not.

(*b*) HUFELAND Op. cit. p. 163., ad 165.

vium inducunt; idem locali e caussa ictus capitis; acerrimus autem dolor id nimium excitando prohibet. In sanguinis profluviis haec requies coagulationi circa arteriarum ora favet. Hinc etiam dolor maior minorem levat (a); multoque magis pruritum: cantharides dolori spastico succurrunt (b). Sympathiae utilitatem hinc petit HUNTERUS, ut dolor per consensum divisus minus incommodet. Amentiae febrem cessisse auctor est inter alios BRANDIS (c); scabiei dysenteriaeve melancholiam vel epilepsiam HUFELANDUS (d); capitis exanthemati epilepsiam cephalaeamque BERGERUS (e). Intestinorum motus ventriculo laboranti aliquando subvenit; contraque vomitus alvo (f). Podagra corpori toto saepe prodest (g). Haec omnia a nisu quodam fa-

---

(a) HIPPOCRATIS Opera, FOESII. Francof. 1595. f. Aph. II. 46.
John HUNTER'S treatise on the blood, inflammation, and gunshot wounds. Lond. 1794. 4. p. 3.
(b) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 159.
(c) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 38. p. 161.
(d) HUFELAND Op. cit. p. 187.
(e) BERGER, respondente RICHTERO, de natura morborum medico. Vitemb. 1702. 4. S. 20. p. 42.
(f) HIPPOCRATIS Op. cit. Aph. VI. 15.
(g) SYDENHAM Opera universa. L. B. 1726. 8. Podagr. p. 447.
John HUNTER'S Op. cit. p. 365.

cultatum omnium in aequilibrium tendentium, derivare studet HUFELANDUS, eumque antagonismum nominavit (*a*).

XXX. Perpauca a vi illa consuetudinis orta, qua id quod semel vel saepius praecesserit facilius repetitur (*b*), ad rem nostram pertinent; nisi quod vis vitalis ubi maiore eius copia opus sit, ex usu facilius suppleatur; Musculi exercitatione cum crescunt, tum pro ratione magnitudinis fortiores fiunt: sensusque singuli mirifice usu acuuntur (*c*). Potius autem morbis favere videtur haec facultas (*d*); hinc a venere nimia perniciosa genitalium agilitas (*e*); hinc erysipelatis reditus in partem semel id passam; hinc intermittentium accessiones, tempore fere stato incidentes, ob motus animales memoria quadam associatos (*f*). Facultas enim impressiones certo ordine associandi, ut una alteram quasi stimulus excitet, in cerebro quidem maxime insignis est, non

---

(*a*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 197.

(*b*) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 36. p. 143.

(*c*) BRANDIS Op. cit. S. 36. p. 144.

(*d*) DUBINSKY de reminiscentia vitali quatenus caussa est morborum. Hal. 1743. 4.

(*e*) BRANDIS Op. cit. S. 36. p. 145.

(*f*) HUFELAND Op. cit. p. 8.

deest autem nervis, neque prorsus aliis corporis partibus.

XXXI. Stimuli absentia vel diminutio id primum efficit, ut vi vitali coacervata, minor stimulus ad eam excitandam sufficiat. Corpus in frigidam immersum primo friget & pallet, stimulo caloris dempto arteriarumque motu languente; deinde motus facultate per quietem reddita, vel ad statum solitum redit, vel facile ultra eum progreditur calor atque rubor. Oculi parca luce bene cernere discunt. Casti incommodo per somnum levantur. Membrum cum putrescit, vascula vicina inertia forsitan ita parantur, ut materiae ingratae contactu facile ad eam amovendam incitentur. Propter facultatem communionem aliquid ab unius sensus diminutione ad reliquos accedere potest (*a*): nisi id ad usum solum referendum sit. Caeci tactu, auditu, memoria, prae ceteris valent. Eius rei exemplum exhibet Vir eximius mathematicis Britannicis notus, inque philosophia peritissimus, qui florum partes minutas linguae admovendo rei herbariae cognitionem accuratam affecutus est. Quod autem ab aliis dictum erat; atque ipso SOEMMERINGIO confirmatum est, caecos

(*a*) HUFELAND Ideen ueber Pathogenie. Jen. 1795. 8. p. 198.

quosdam tactu solo colores diſtinguere potuiſſe (*a*), id ulteriore inveſtigatione eget.

XXXII. Desuetudinis vis (*b*) in eo cernitur, quod qui longum in lecto iacuerit aegre musculi uti poſſit: sensus externi non multum hac debilitantur; plurimum autem memoria. Neque quidquam ad morbos levandos hinc petitur, niſi quod spatio exacto recidivae minus ſint timendae.

XXXIII. Atque haec quidem pro primis tantum huius doctrinae elementis habenda sunt; quaedam tamen forſitan adducta sunt, quae & ad modeſtiam, ex eo quod tantulum perfecte intelligamus, inculcandam, & ex eo quod aetas noſtra tantorum umbram ita cernere incipit, *οἷόν τίς τε νέῳ ἐνὶ ἤματι μήνην ἢ ἴδεν, ἢ ἐδόκησεν ἐπαχλύουσαν ἰδέσθαι* (*c*), ad induſtriam eum in finem incitandam sufficiant, ut iſta ars, quae humano generi tanta quanta nulla fere alia & commoda & incommoda afferre poteſt, ex longo tandem diluculo versus clariorem diem progrediatur.

(*a*) SOEMMERING vom Bau des menschlichen Koerpers. t. 5. Francof. 1791. 8. S. 184.

(*b*) BRANDIS Versuch ueber die Lebenskraft. Hannov. 1795. 8. S. 37. p. 146.

(*c*) *Apollonius* RHODIUS.

OPUSCULUM III.

DE VASORUM SANGUIFERORUM INFLAMMATIONE,

AUCTORE

IO. GEORG. GUILIELM. SASSE

M. D.

DISSERTATIO

Hallae habita Anno MDCCXCVII.

§. I.

Inflammationem vasorum sanguiferorum antequam describam, necesse est, ut brevibus exponam, quaenam sit mea de inflammatione idea, & quomodo morbus iste inhaerere possit vasis sanguiferis.

§. II.

Symptomata, quae sese obferunt in inflammatione, rubor scilicet, calor auctus, do-

lor &c., actionem indicant vasorum auctam, unde maior sanguinis affluxus, congestio in inflammata parte conspicua, ob venarum in reducendo inertiam, nervorumque vicinorum compressio (*a*). Inflammatio itaque consistit in praeternaturali efficacia vis vitalis vasorum sanguiferorum a caussa vel externa vel interna suborta.

Inflammatio solummodo morbus est vasorum, unum alterumve ramum obtinens, ac secundum partis, cui vas laborans sese immergit, diversitatem designatus; haud iure enim totam partem aegrotare existimarunt, cui inerant vasa incensa.

§. III.

Vas organum secundi ordinis, constructum est tribus ex tunicis, tela cellulosa arcte connexis; media, quae & vasculosa audit, magnum recipit numerum nervulorum, vasculorum & sanguiferorum & lymphaticorum, quae maioribus in truncis cultro anatomico exscindi, vel iniectionis ope detegi, in minoribus vero secundum analogiae regulas possunt

(*a*) GAUTIER de irrit. not. p. 153.

sunt agnosci. Quae vero vascula, praeter nutritionis opus, alio quoque videntur fungi officio, materiem nimirum cum advehant, ex cuius decompositione actiones redundant, vasorum functioni praesint, eamque dirigant & alant. Propria quidem irritabilitate praedita, morbis ex intemperie istius suboriundis sunt subiecta; auctam sequitur vasorum excessus actionum, eorumque inflammatio.

§. IV.

Vasorum sanguiferorum igitur inflammationem denominamus irritabilitatis vasculorum per tunicas dispersorum exaltationem, unde vasorum actio aucta, rubor, dolor, ardor, tunicarum augmentum. Utrique vasorum generi & advehenti & revehenti morbus iste potest insidere, saepius vero observatur in venis, forsan ex maiori eorum irritabilitate, caussarumque remotarum maiori numero.

§. V.

Symptomata, quae morbum nostrum designant, omnia cuivis inflammationi sunt peculiaria, & magnam ad partem ex organi ipsius deducuntur functione laesa. Iis adnumerantur:

Actio vasis aucta, accelerata: ictus ar-

teriae incensae duri, celeresque; unde efficitur, arteriam maiori cum impetu in organum, cui advehit sanguinem, agere debere, organumque ipsum morbo facillime posse affici symptomatico; nec non inde elucet, morbum organi febrilem facillime posse suscitare vasorum incendium, propter commercium, quod interest organa & vasa illis indita. In venis, motu conspicuo expertibus, hoc signo carere debemus. Inflammatio, si vel longe lateque diffunditur, vel magna systematis vasa occupat, vel demum si ipsa in regione cordis pedem fixit, totum vasorum systema particeps reddit, febremque gignit symptomaticum synochae indolis.

Calor auctus, sequela actionum vasis vehementium, ac productum operationum chemico-vitalium. HUNTERUS (a) restem vidit quasi ardentem, a vena saphena inferiore usque ad inguina progredientem.

Rubor & tumor, ut in quavis inflammatione, sic & hic plerumque observantur, quamvis oculo effugere debent, cum vas inflammatum profundum obtineat situm. Optime vero per spici possunt vasis mere cute obtectis.

Dolor unamquamque plurimum comitatur

(a) Medical Comment. Vol. 3. p. 1.

inflammationem, in ea vero vasorum, rheumatice saepius habetur indolis. Nervos inflammatorio morbo quodammodo affici debere, minime dubitandum, ipsi enim ad producendam vasorum actionem haud parvam ineunt partem, quid? quod forsan necessario requiruntur. — In inflammatione venae medianae infeliciter tusae dolor quidem magna ex parte a nervis simul offensis est deducendus, minime vero cum BELLIO (a) & SHERVEN (b) consentire velim, quod in hac nervorum affectione omnis cardo vertatur. Inflammatio enim vasorum tusorum tum esse potest succedanea, a nervis laesis suborta, sicut & saepissime morborum nervosorum cum inflammatione observatur metaschematismus, tum vero nervorum morbum eodem tempore concomitans.

§. VI.

Inter signa vasorum inflammationis anamnestica iure referuntur extispicia pathologica, quae obferunt: ruborem vasorum coccineum per faciem internam praecipue diffusum, tunicarum augmentum, nec non luminis interni

(a) Lehrbuch der Wundarzneykunst, 1. Th.
(b) Medizin. Commentar. 4. Th.

coalitum; fibram sanguinis exsudatam, nexumque organis cum vicinis inde subortum. Passim & reperiuntur accumulationes purulentae, vel per vasis tubum libere diffusae, vel saccis, concrescentiae ope neogenitis, occlusae. — Plura observationes inferius allegandae suppeditabunt.

§. VII.

Caussae remotae.

Omne, quod vel iniuria externa, vel irritatione, vel actione mechanica, in vasa agere, eorumque vim vitalem augere valeat, caussis remotis adnumerandum. Huc pertinent:

Venaesectio infausta, caussa maxime vulgaris inflammationis venae tusae & interdum arteriae simul offensae. Antea affectiones inde redundantes, nervis solummodo & tendinibus adscripsere vulneratis, nuperrime vero clariss. HUNTER (*a*), BELL (*b*) & ABERNETTY (*c*) praeclare ostenderunt, inflammationem vasorum maximam partem harum vindicare pas-

(*a*) L. c. p. 431.
(*b*) L. c. p. 50.
(*c*) Physiologische und chirurg. Versuche, 1. Bd. S. 128.

ſionum. Vulneris labia, aliquo poſt phlebotomiam tempore elapso, sese offerunt tumida, subrubra, diſtantia, preſſu dolent, aeger dolores sentit pungentes ſimul cum tumore sursum deorsumve migrantes; pulsus partis affectae duri & tenſi; ardor vas inflammatum maxime comitans, aliaque venae inflammationem conſignant.

Amputatio. Hanc vasorum incendium facillimo modo subsequi poſſe, optime patet ex laeſione mechanica ope cultri illata, & ex ſtatu totius vulneris inflammatorio, qui cum vaſis neceſſario debet communicari. Nec desunt exempla, quibus vasa defunctorum ex amputationis loco sursum tendentia vel inflammationis vel suppurationis ſignis ſtipata detexerunt (*a*).

Vulnera cuiusvis generis, praesertim tormentis vel preſſionis & confrictionis ope illata.

Deligatio vasorum, quae impedit, quo minus vasa fungi poſſint suo officio, ideoque ut impedimentum reiiciant, natura vires acuit, ac inflammationem suscitat. Morbus igitur noſter poteſt excipere operationem aneurysmatis extremitatum, deligationem funiculi umbili-

K 3

(*a*) HUNTER l. c. p. 434.

calis, funiculi spermatici, ac haemorrhoidum demum coecarum.

Expansio vasorum naturale supra volumen, status scilicet plethoricus, qui cum irritabilitate vasorum aucta & ad inflammationem propensione plerumque invenitur consociatus. Gravidis, quorum uterus vasa comprimit iliaca, saepe incenduntur pedum varices; stagnatione enim sanguinis, vasa extensa irritantur; eodem modo inflammatio oritur haemorrhoidum coecarum.

Inflammatio organi, cui vasa sese immergunt, quae vero potius vasorum requirit affectionem.

Omnia demum, quae vasorum systema mobilius reddere, vel leviori virium eius commutationi praebere possunt occasionem, ad caussas iure referuntur disponentes.

§. VIII.

Differentiae morbi.

Inflammationes vasorum discrepant:

1) Secundum morbi sedem, ubi nominari possunt

a) vel partiales, si unus pluresve vasorum rami sunt affecti.

b) vel universales, si totum vasorum systema incendio laborat.

2) Secundum caussas occasionales est inflammatio vasorum

a) vel idiopathica,

b) vel sympathica; quae vero distinctio solummodo indicat, caussam remotam illius extra, huius vero intra corpus esse positam (a); organum ipsum semper eodem modo laborat.

Una cum inflammatione vasorum, aliorum quoque organorum morbos vel eiusdem indolis vel specifice differentes adesse posse, unicuique patet.

§. IX.

Solutio morbi.

Prima eaque benignissima inflammationis vasorum solutio est: discussio, quae, ut succedat, irritabilitatis depressionem necessario requirit. Plurimis in casibus naturae medicatrici relictis, ipse actionum excessus, virium aequilibrium forsan restituit.

Suppuratio alter morbi exitus maxime consuetus. Inflammatio, maiore impetu vigens,

(a) REILS Fieberlehre.

ad solutionem salubrem se se non accingens, in sinu suo novum producit organum secretorium, quod statu aliquo perdurante subinflammatorio, humorem secernit subalbidum, blandum, cui nomen puris. Varia sunt loca, quae pus recipiunt secretum, variaque phaenomena inde exorientia. Interdum deponitur extra vasorum cavitatem, & tunica cellulosa passim resorpta veros efformat abscessus, quorum cita apertione tota absolvitur curatio. Saepius vero pus recluditur ipsa in vasorum cavitate, & tum prout secernitur, sanguini admiscetur, cor versus migrat, & hac ratione periculosissima signa, quid? quod mortem excitat subitaneam (*a*), vel vasis tunicae & supra & infra pus coalescunt, huic circulationis viam occludunt, & abscessum efformant, ex cuius operatione restitutio est speranda. HUNTERUS catenam quasi horum vidit abscessuum, cursum venae rusae sequentium; ABERNETTY (*b*) quoque similem per venam saphenam internam a pollice pedum usque ad inguina tendentem. Interdum pus vasorum

(*a*) HUNTER l. c.

(*b*) Chirurg. und physiol. Versuche.

ABERNETT. credit, suppurationem venae interdum esse necessariam, eiusque dissolutionem optime & morbi progressum, & puris cum sanguine commixtionem posse impedire.

tunicas penetrans, sub specie abscessus occurrit subcutanei, cuius communicatio cum vasis cavo incisionis ope detegitur.

Quorum abscessuum in corporis oeconomiam vis noxia ex numero eorum ac extensione facile perspicitur; omnia scilicet phthiseos purulentae signa exinde oriri possunt, corporis consumptio, virium collapsus aliaque statum hecticum facientia.

Tertius inflammationis finiendae modus absolvitur lymphae exsudatione. Certo enim illius gradu arteriae exhalantes materiem exstillant lymphaticam coagulabilem, quae vel inter vasorum tunicas deposita volumen eorum auget, vel externe eliminata coalitionem ac concrescentiam vasorum efficit & partibus cum vicinis & inter semet ipsas, vel introrsum delata, vasorum cavitates obliterat, ac praecludit ita, ut impoſterum functioni suae unquam prospicere nequeant (*a*). Eadem lumi-

(*a*) In gravioribus viscerum inflammationibus, non modo ipsorum parenchyma, verum & vasa per illos decurrentia inflammatione corripiuntur. Unde fit, ut materies ex extremitate vasorum inflammatione detemptorum exhalans viscerum superficiem tegit, & vestit illo prorsus modo, quo haec organa propriis induuntur membranis. Haec pseudo-membrana, per vasorum inflammationem enata, organa diversa invicem conglutinat, & partium organicarum adinstar propria instruitur vasorum congerie nutritionis operi inservientium, uti

nis vasorum conglutinatione cavitates formantur illae, pus secretum recipientes, quae quoque praeter prohibitam puris cum sanguine mixtionem, inflammationi ipsi terminos ponunt. — HUNTERUS ex vasorum concretione caussam petit, quapropter Chirurgi in vena secanda saepius fallantur, nihilque sanguinis se se exserat; tali occasione iudicat venam fuisse inflammatam, concretam, ac ad sanguinis circuitum ineptam plane factam.

Quae concretiones, quod simili modo fiant ac membranae pleuriticae, pleuritidem, vel conglutinationes organorum abdominis, enteritidem, hepatitidem, febrem puerperalem &c. excipientes, maxime est verisimile; frangunt enim ac solvunt morbi impetum, sed, proh dolor! infausto ac incongruo modo.

Gangraena & sphacelus, quamquam inflammationis constituunt exitum, nec in ea vasorum sicco relinqui potest pede. Observationes vero eiusmodi solutionis hucusque prorsus non exstant.

---

iam alio loco dixi & demonstravi (*Annotazioni medico-pratiche ec. Parte prima Tav. II.*). Quae vasa per pseudo-membranam repentia tamquam vasorum partis inflammatae appendicem respicienda esse censeo (*Editor*).

CURATIO.

§. X.

Morbi noſtri poſtquam brevibus exposui naturam, liceat, hiſtoriam quoque remediorum commemorare, quae vel inflammationis modo ebullientis curae, vel ſi quendam iam superaverit exitum, optime conveniunt. Unicuique primo intuitu patebit, curam, reſpectu generalioris modi adminiſtrationis, haud procul poſſe diſtare ab illa aliorum organorum inflammationis medela, nec longe abeſt, ubi haec generalis medendi methodus propter sedis morbi inscientiam sufficere debuerit; attamen vasorum inflammationi medenti quaedam observanda sunt peculiaria, quae cum partis affectae ſtructura, eiusque nexu cum aliis organis collineant.

§. XI.

Fauſtiſſimus morbi exitus cum ſit discusſio, omnis cardo in eo vertatur, ut sese exserat; id quod vero nulla fieri poteſt ratione, niſi vasorum actiones iuſto maiores quodammodo ceſſaverint ac diminuantur. Quem in finem praesertim respiciendum eſt ad cauſſam

remotam & quidem externam, quae morbum ciet, nutritque. Paucissimis vero in casibus talis investigatio institui potest, cum vel caussa agebat impressione transitoria, vel plane non valet semoveri. Illis adnumerare vellem vasorum inflammationes sponte quasi nascentes, ob vasorum ad phlogosin propensionem ex caussa leviter agente profectam, e. gr. refrigeratione, horrore, aliisque animi pathematibus &c. (*a*). Caussae vero externae, quarum actio plane non potest impediri, longe sunt plurimae, e. gr. vasorum deligatio, uteri pressio gravidi, vulnera &c. In vulneribus praecipue sclopetariis demptio quidem & excisio corporum peregrinorum usum feret in mitiganda inflammatione; aeque ac in inflammatione venae brachialis, ex venaesectione orta, bene inquirendum, numne pars mucronis vel aciei lanceolae quamquam minutissima vulneri haereat infixa, ut eliminetur. HUNTERUS, venae inflammationem sanguinis detractionem sequentem, cumprimis deducit ex mala sanandi vulneris dispositione, quae se exserit, si vulneris labia haud iusto consociantur modo, ita ut aëris accessu maxime irritetur. Suadet

(*a*) Ex animi scilicet pathematibus facultate incitandi, pollentibus, quae vim cordis, & vasorum renixum augent, atque evertunt (*Edit.*).

igitur labiorum vulneris iustam iunctionem, ac ope fasciarum contra aeris iniurias optimam defensionem.

§. XII.

Secundam & gravissimam attentionem meretur febris inflammatoria sympathica, magnum vasorum incendium vel inflammationem vasorum maiorum plerumque concomitans. Huic scopo inservit totus apparatus antiphlogisticus, farrago medicaminum in diabesin inflammatoriam diverso modo agentium. Sunt vel interna vel externa. Satis sit brevibus, quae ad generalia spectant, solummodo recensere. Primum & princeps remedium iure ponitur in venaesectione (a), quae secundum febris ardorem instituatur & repetatur; optime enim cordis vasorumque nimiam actionem hebetat ac infringit. Interne simul propinantur sic dicta temperantia & refrigerantia: ut sales medii, nitrum, cremor tartari, sal ammoniacum in hordei vel avenae decoctis solutum; aeque ac acida, praesertim vegetabilia, fructus horrei recentes, acetum melle commixtum, acidum tartari mucilaginoso decocto admixtum. Ene-

---

(a) FRANK epitome p. 190.

mata emollientia, balneaque tota vel semicupia & omnia sic dicta derivantia venaesectionem optime excipiunt. Quod ad diaetam, sensus aegri & externi & interni ne irritentur curemus, animus servetur quietus, strepitus, lumina aliaque probe evitentur. Lectulus, aërque aegrum circumdans, sint subfrigidi. — Quibus omnibus inflammationis impetu optime fracto, & ut salutaris obtineatur solutio, sic dicta administrantur discutientia, quorum princeps sane est mercurius, camphora, opioque nuptus (*a*). — Finem demum curandae febris inflammatoriae symptomaticae faciant roborantia ac nutrientia, ob debilitatem ex morbo & ipsius curatione subortam. Quibus adnumerantur amara, spirituosis iuncta, subirritantia, martialia, aliaque. Praesertim hic eminet cortex peruvianus, cuius usus iam indicatur, simulac febris formam induat remittentem.

§. XIII.

Medelam nunc aggredior vasis incensi topicam, externis praecipue absolvendam. Re-

(*a*) RAMBACH de Merc. usu. Hal. 1797.
Haec omnia optime conducunt quoties diathesi phlogistica superata inflammationis effectus tollere oporteat, qui utplurimum in partium levi cohaesione, in tunicarum vasorum rigiditate, in luminis vasorum obstructione &c. consistere videntur (*Edit.*).

media exstant, quae, ut inflammatio vix suborta statim supprimatur, optime possunt tentari, discutientia nimirum fortiora ac irritabilitatem deprimentia, ut aqua gelida, saturnina, camphorata, ope epithematum perhibita, alcali volatile oleo solutum, aliaque. Potissimum vero respondet frigus, quod magno in gradu actiones organorum optime infirmat, aliisque in inflammationibus maximo adhibetur emolumento (*a*). — Quae vero remedia, in inflammatione vel adulta vel nimis resistente, amplius non quadrant, tunc potius ad relaxantia ac emollientia mitiora est refugiendum. In primis vel hirudinum parti affectae quamproxime appositarum, vel scarificationum ope plethora diminuatur localis; ecquod faciunt cataplasmata emollientia, fomenta tam mera ex aqua tepida, quam ex herbarum seminumque emollientium decoctis parata. BELLIUS, existimans, affectiones venam male tusam excipientes, nervo solummodo laeso esse tribuendas, repudiavit cataplasmatum ac fomentationum administrationem, nervina contra exigit ac sedantia; ast diagnosi probe instituta, & complicationis ratione bene distincta, emollientium usus minime videtur absonus; cui acce-

(*a*) RIGBY über die thierische Wärme.

dit, quod organum secundarie affectum simili modo patiatur, quam quod primarie laesum, nec ad curationem tantum faciat discriminis, quodque nervorum incendium itidem plerumque exigat antiphlogistica.

§. XIV.

Vasa cum unum & continentem formant canalem, facillime evenit, ut inflammatio unius partis ulterius propagetur, & demum cor ipsum attingat. Verumtamen supra dictum, cohaesionem ac conglutinationem tunicarum vasis inflammationi ipsi terminos ponere. HUNTERUS igitur aliique suaserunt, compressione quadam supra infraque inflammationis locum concretionem efficere artificialem, cuius salutarem effectum experientia iam comprobavit; nec ullo alio modo incendio varicum gravidarum aliorumque vasorum nimis extensorum potest praecaveri, nisi compressione, fasciaque RHEDANII.

§. XV.

Inflammationis ardore hisce satis superato, externa adhibeamus subirritantia, quibus vis vitalis, ad discussionem perficiendam, paullulum suscitetur. Huic scopo respondent herbae subaromaticae, linimenta alcalina volatilia, cam-

camphorata, vesicatoria parti affectae quam proxime imposita, aliaque.

§. XVI.

Suppuratio cum inflammationem iam sequuta fuerit, bene respiciendum, ne puris fiat cum sanguine mixtura; cui prospici potest, si compressiones supra dictae quamprimum adhibeantur. Hac ratione pus in cavitate quadam praecluditur, & abscessum constituit, qui manu chirurgica optime potest sanari. Quodsi vero compressio ob vasis affecti situm nequit institui, vel nimis sera contingit curatio, tunc ex materiei purulentae sanguini admixtione omnes se exserunt phthiseos notae, aliaque sanguinis depravati gravia signa. Remedia, quae in statu tam dubio adhuc restant, sunt blanda, sic dicta edulcorantia, excretiones promoventia, ut lac, aqua Selteriana cum lacte mixta, cortex, aliaque.

OBSERVATIONES.

§. XVII.

Quum de inflammatione vasorum apud veteres, ceu morbo simplici & peculiari, nul-

lam inveniamus descriptionem, nec observationem, operae pretium duxi, si observationes hucusque factas, & a neotericis, ad morbi naturam evincendam prolatas, breviter colligerem. Primus quidem & princeps morbi observator fuit HUNTERUS (*a*), cui & alia de inflammatione debemus praeclara. Principio suspicatus est, incendium vasorum ex morte equorum subitanea, quorum venae, in nuchae regione sitae, antea fuerint tusae. Indagatione & sectione candida expertus est, cavum venarum incensum, ac inflammationem per faciem earum internam usque ad pectus, interdum quoque ad cor ipsum propagatam. Insuper & aperuit hominibus abscessus, venaesectionem excipientes infaustam, qui viam sequebantur venae tusae, ac huius tunicis videbantur occlusi. — Internam faciem venarum, abscessus pulmonum undique attingentium, non solum invenit inflammatam, sed quadam etiam distantia suppuratam, ita ut limites & inflammationis & suppurationis commode posset designare. — Aeque ac venas, membrorum post amputationem, magno inflammationis gradu vidit correptas, sibique persuasum habet, nullam aliam esse rationem, quapropter inflam-

(*a*) Medical Comment. l. c.

matio tam velociter & ad tantam a loco vulnerato distantiam possit transferri. His observationibus addit eas, quae, quod mali venaesectionem excipientes effectus venae inflammationi adscribi debeant, optime comprobant. Vir, ob venam basilicam iniuste tusam, inflammatione brachii dextri afflictus, in nosocomium delatus, octo post dies subito obiit. Vena aegrota, simul cum arteria aliisque partibus vicinis a medio antibrachii usque ad axillam, exscissa, HUNTERO est donata, ac inquisitione instituta, totum venae cavum invenit inflammatum. Inflammatio a loco incisionis expansa fuit usque ad axillam, imo paullum infra descendit. Media brachii vena suppuraverat, ac ope absorptionis partium abscessum attingentium, duas in partes erat divisa, quarum singulae singulos simularunt abscessus. Vulnus, lanceola incisum, hucdum fuit apertum, & facillime potuit permeari; tunicae vero venarum valde fuerunt incrassatae, adeoque lympha coagulabili coopertae, ut sanguinis vectioni factae sint plane ineptae. Passim occurrit ipsius luminis interni conglutinatio, arteriaeque vicinae coaffectio. Ductus ex abscessu ad venam axillarem tendens occurrit pervius, ope cuius materia purulenta sanguini admisci potuit refluenti, undeque HUNTERUS mortem suspi-

catus est subitaneam: ecquam opinionem experimentis confirmat in canibus institutis, quas materia & blandissima venae iniecta vel subito necavit vel valde aegros reddidit. — De salutari vi adhaesionum in impediendo inflammationis progressu, multa vidit exempla, praecipue unum idque praeclarum, ubi ex vulnere inferiori pedi inflicto, vena suppuravit saphena, ac adhaesionis ope tunicae internae unam formavit abscessuum catenam a pollice pedis ad inguina usque scandentem. Singulis apertis sanitatem restituit.

§. XVIII.

Hae observationes celeberr. HUNTERI, quamquam morbi sedem optime demonstrant, & caussae exitusque eam quasi indigitant, attamen BELLIUS & SHERWEN de hac re quam maxime dubitaverunt. SHERWEN quidem non potuit, quin unum commemoraret exemplum, quod HUNTERI sententiam sibi videbatur comprobare (a). Femina senex ad venam tusa medianam, paucos post dies ob dolorum cruciatus & inflammationis ardorem auxilia quaesivit auctoris. Dolores crescebant,

(a) RICHTERS Bibliothek, Band 5. S. 72. Medizin. Commentar. B. 4. S. 221.

donec ad paucorum pollicum distantiam infra incisionem, inter musculum flexorem carpi radialem, & radii supinatorem, sese obtulit abscessus. Ipsa incisionis apertura suppuravit, & per longum temporis spatium hiavit. Abscessus paullo post, ex inflammatione per venae tubum sursum elata, infra claviculam subortus, morbum plane absolvit.

§. XIX.

Celeberr. FRANKIUS inter primos est, qui ex signorum ratione, & vasorum post mortem habitu, horum inflammationem sunt suspicati (*a*). „ In vehementissimis, inquit, inflammatoriae naturae febribus, sub enormi cordis arteriarumque actione, non modo has ipsas, sed venarum totam compagem, interna superficie, undique profunde rubentes, ac inflammatas nos primum conspeximus, similesque arteriae, inprimis magnae, phlogoses partiales, sub iisdem circumstantiis, iam pluries ostendimus “.

§. XX.

Eidem auctori maxima forsan ex parte observationes debemus, quas protulit SCHMUCK

(*a*) FRANK epitome de curand. homin. morb. Lib. I. pag. 187.

(*a*), quarumque pauca proferre lubet. In iuvene, affectu pectoris ac cordis palpitationes antea perpesso, peritonaeum repertum est inflammatum, vasisque rubris pertextum; facies aortae interna ad sex pollices a corde distans, colore se obtulit coccineo. Externe vasa habitum tenebant naturalem. — Alio in corpore, peripneumonia defuncto, aorta, arteriae carotides, claviculares, tota aorta abdominalis, usque ad pelvim, quid? quod & femorales conspectae sunt coccineae, nec rubor ullo modo potuit abstergi. — In opifice, cui cubitus fuerat inflammatus ac exulceratus, vena cephalica, axillaris, arteriaeque eiusdem nominis post mortem occurrere perrubrae. — In alio, cui os petrosum violenter fuerat fractum, arteria carotis interna & externa, thyroidea superior, labialis, occipitalis, pharingea, venaque iugularis, omnibus inflammationis signis fuerunt stipatae.

§. XXI.

ABERNETTY (*b*) quasdam nuperrime communicavit observationes de venae sectae

(*a*) SCHMUCK diss. sist. observ. med. de vasor. sanguifer. inflammat. Heidelberg. 1793. 4.
(*b*) L. c. p. 180.

inflammatione. Primo in casu ad trium pollicum a loco incisionis distantiam, & supra & infra vulnus vena fuit incensa, magnopere intumuit, integumenta rubuerunt & doluerunt, febrisque adfuit concomitans. Ardore ac tumore sublatis, vena supra vulnus sanatum compressa infra compressionem nullam ostendit a sanguine dilatationem. — Alia in observatione versus vulneris partem inferiorem usque ad manus carpum inflammatio descendit. Persuasum sibi habet, conglutinationem tunicarum venae internarum impedimentum constituisse, quominus inflammatio diffundi potuerit.

§. XXII.

His demum accensendae sunt observationes, quas mecum communicare voluit, praeceptor omni pietatis cultu prosequendus, Domin. a consil. intim. MECKEL: „ Bis, inquit venerandus Vir, in recens natis, ut aeque bis in adultis, venarum inflammationem, eiusque sequelas, crustam nempe inflammatoriam, ab exsudatione laticis lymphatici inspissati enatam; suppurationem; imo ulcerationem, praesertim tunicae venarum internae observavi. Facta inferius annexa eo luculentius & hodie rem probant, quum specimina harum venarum, in spiritu vini asservata, ocu-

lis ea exacte loquuntur, quae iam describenda mihi sumsi.

Observat. I.

Faustissimis omnibus, a matre sana, viginti & aliquot annos nata, unum partum hucdum eumque felicem perpessa, natus est puer, legitimum partus terminum, tam ratione longitudinis, quam reliquae corporis sui molis, declarans. Omnia, tam quoad facilitatem partus naturalis, quam respectu bonae valetudinis matris & neonati, per duo nychthemera ita se habebant, ut infelix rerum exitus, infanti fatalis, nequaquam exspectari potuerit. His vero exactis, matri propter lactationem a concretione papillarum impossibilem redditam (quod iam in puerperio ante duos annos praegresso eidem acciderat) symptomata solita tam localia mammarum, quam universalia, ab irritatione pendentia, subvenere. Valida licet fuerit febris per aliquot dies, levata tamen mitioribus fuit remediis. —

Interim vero puer, cui lac maternum deficiebat, quem blando hoc nutrimento alienis e fontibus refici denegabant parentes, varia ingesta accepit, ad sitim famemque sedandam, eius tamen naturae, ut iis caussa symptomatum infra dicendorum & rerum, quae

per sectionem detegebantur, vix tribui potuerit, cum e mucilaginosis (qualia decocta avenae excorticatae, panis similaginei, cum exigua lactis vaccini tenuis quantitate mixti offerunt) constarent. — Enata nihilominus sunt quarta post partum die symptomata indigestionis, vomitus lactis grumosi, pituitae; ructus, murmura ventris, meteorismus, diarrhoea mucosa, biliosa &c. Iam nunc cutis color, qui plerumque his diebus e rubro in pallidiorem flavum mutari solet, in ictericum profunde tinctum versus est. Valida febris, gemitus continui cum symptomatibus dictis, medicamentis tam externis, quam internis cedere noluerunt. Accedentibus signis nervosis etiam parum salutaris medicina fuit, decimoque a vitae initio die, emaciatus diem supremum obiit. — Enormis abdominis expansio, dolores ad ultimum usque halitum tenellum excruciantes, non vulgarem in abdomine latere morbi caussam testabantur, & sectionis votum movebant, cui benigni cessere parentes.

Apertum abdominis cavum, largum exhibuit puris lymphatici viridis copiam. Omnia abdominis viscera, hepar praesertim, crusta lymphatica erant obtecta, quae spissi, in membranas formati puris habitum prae se ferebat, dum in fundo pelvis lympha floccis purulentis commixta haesit. Abstersa hac lym-

pha, firmissima neogenitae membranae consistentia, intimaque, cum subiacente peritonaeo, tam intestina, quam ventriculum, hepar, lienem: simulque posteriorem vesicae urinariae superficiem obducente, connexio visa est; peritonaeum vasis sanguine farctis, qualia ab iniectione colorata, dum felicissime succedit, esse solent, ipsum duplo certe crassius, quam in naturali statu fuit. — Ramorum venae portarum, ubique per abdomen vagantium turgor, praesertim trunci venae umbilicalis, ab umbilico inde ad hepar usque expansio praeternaturalis, attentionem in se traxere, docuitque exactior dictorum vasorum lustratio, non a sanguine, quibus facta esse videbantur, sed a tunicarum ipsarum adaucta crassitie volumen ultra legitimos terminos coactum fuisse. Quam nunc coram oculis habeo, vena umbilicalis, una cum initio ramorum in hepar tendentium, parietum crassitiem, lineam in trunco, duas in hepate ipso superantem, manifestat. Crusta, quae dicitur inflammatoria, intimae venae tunicae firmiter adhaeret, sicque luculenter declarat, inflammationem venam ipsam occupasse. Visa iam iudicium nostrum de morbo eiusque caussa id fecere: peritonitidem, quam supra dicta phaenomena aperte declarabant, sequelam inflammationis venae umbilicalis, eiusque ramorum, arcto nexu cum iis

venae portarum in fetu & neogenito oexorum, fuiſſe. Anne icterus exinde peritonitidem antecedens eamque concomitans? Anne frequentem hunc venae morbum; eius vulneris sub resectione funiculi umbilicalis, frictionis, quam pro eliciendo sanguine solito instituunt; ligaturae ruditer saepe & nimis in vicinia tegumentorum abdominis, factae, sequelam, inquirendo exactius, reperiemus (*a*)?

Observat. II.

Poſt praegreſſos duos partus naturales, quos felix exceperat puerperium, tertia vice gravida mater saniſſima, legitimo partus termino dolores senſit solitos. Horum augmen-

---

(*a*) In puero neonato ad septimum usque diem sano, praegreſſa matris, quae puero ubera praebebat, ira, eryſipelaceam, a praeputio incipientem, mox supra omnem cutis ambitum productam inflammationem, tertia ab ortu die lethalem notavit Vir cel. OSIANDER, *neue Denkwürdigkeiten für Aerzte und Geburtshelfer, Erſt. Band. Gött.* 1797. Cum noſtris admodum conveniunt verba. *Zwischen den Gedärmen, besonders in der entzündeten Lebergegend, war eine gelbe eiterähnliche Materie; ähnlich derjenigen, womit man zuweilen die Gedärme der an Eingeweideentzündung verſtorbenen Menschen, besonders der Wöchnerinnen, zusammengeleimt findet. — Besonders merkwürdig schien es mir, dass mit eben solchem gelben Eiter die Vena umbilicalis bis an die Pfortader angefullt war.*

tum succeſſive omnia ea praeſtitit, quae cum natura succedere solent, donec poſitio foetus scenam mutaret: ea enim fuit, ut nates offerret optimo quidem ſitu, ita nempe, ut dorsum foetus anteriorem uteri superficiem respiceret. Praesens obſtetrix naturae partum commiſit, cuius difficultates exinde non leves pro matre, infelices foetui factae sunt. Dum enim mater doloribus in fundo pelvis & genitalium a diſtenſione laborabat; gravior, quam quae solet, excitata eſt febris; haec tamen partim salutari, & copiosa lactis per mammas excretione, partim medicamentis lenioribus, sedata fuit. — Puer vero a preſſione abdominis sub partu dicto, maioribus certe, quam in ſitu naturali, herniam inguinalem dextri lateris, nulla arte ab initio e loco movendam nactus, symptomata incarcerationem comitantia hinc passus eſt. — A medicamentis, his sub conditionibus salutaribus, tertio demum die, inteſtini prolapſi repoſitio, & cum ea symptomatum levamen allatum fuit; remanſit vero abdominis inflatio, dolor exquiſitus; hunc quarto die icterus comitatus eſt. Symptomata graviora facta sunt, ita ut, cum meteorismus, quamvis faecum evacuatio succedebat, accederet, emaciatus admodum, cum omnia nutrimenta tum vomitu excernebat, tum respuebat, septima die e vivis excederet. — Sectio pe-

ritonitidis in suppurationem terminatae phaenomena iis plane similia manifestavit, quae in observatione prima fusius descripsit. — Venae umbilicalis habitus externus cum eo convenit, quem ibi dixi, sed luculenter inflammationis venae huius cum ea primorum in hepar pergentium ramorum signa, hoc in casu eo adaugebantur, quod verum pus parietes obtegeret, huc & illuc simul erosiones tunicae internae, quasi exulceratae apparerent. Licet caussa peritonitidis omnino a pressione abdominis sub partu dicto inevitabili, una cum herniae ortu repetenda sit; eius augmentum ab incarceratione intestini facile derivetur; nescio tamen, anne venae umbilicalis inflammatio & hoc in casu, ut in antecedenti, tanquam alius, non levis momenti fons inflammationis lethalis accusanda sit.

Observat. III.

Generosa femina, aetatis anno trigesimo, secunda vice gravida facta fuit, postquam duos ante annos, fausto satis partu, filiam enixa erat, infausto tamen puerperio, ob ulcus, mammae sinistrae, sinuosum, sanatu difficillimum, a solita sanitate haud parum recesserat. — Accedebat, quo robustae personae habitum potius mentiretur, quam revera possideret;

torositas enim a laxitate solidorum, adipis generationi favente, rubedo saepius genas obtegens, ab eodem vasorum statu & a sensibili admodum systemate nervoso, derivandae erant. A labe scrophulosa caeterum libera non erat, uti per glandulas conglobatas colli tumidas, glandulosam palpebrarum inflammationem, qua nonnunquam laborabat, patebat. — Nihilominus graviditatis huius felicissimo decursui nihil obfuere dictae circumstantiae; contra potius floridior quotidie evasit eius facies; quadrata ita facta fuit, ut quisque sanitatem eius laudaret, ipsa assentire laudibus cogeretur. — Ita res se habebant, cum doloribus primo levioribus, dein gravioribus ad partum legitimo graviditatis termino vexaretur. Magna ventris moles iam antea gemellorum suspicionem moverat; haec vero falsa erat; mox enim, molem ventris ab enormi infantis magnitudine pendere, explorando confirmabatur, cum enormitas capitis eo se declarabat. Exinde lentus & difficilis partus redditus fuit, mutatoque parumper digitorum auxilio, situ capitis non plane favente, absque alio artis adminiculo, expulsus fuit puer insolitae omnino molis, cum decem libras pondere aequabat. — Abhinc non parum defatigata, eo debilior reddita fuit, quod tam sub solutione placentae, naturae relictae, quam post eam

magnam sanguinis copiam perderet. Lypothymia corripiebatur, non facile fuganda, a qua tamen restituta, analepticis refecta, bene convaluit. — Primis puerperii diebus praeter virium defectum nihil erat monendum. — Mammae tunc muneribus suis accommodare sese inceperant, cum inopinato valida incensa fuit febris cum doloribus non in uteri sedem tantum, sed ultra hanc in maximam abdominis circumferentiam, diffusis. — Remisit quidem, commodis in usum vocatis remediis, febris, tertio ab initio die; superstites attamen dolores supra dicti non nisi post septimanam & ultra una cum lactis imminutione, totalique tandem eius abolitione, fugati sunt. — Prosperum rerum exitum sperare, concedebat earum tunc facies, cum quotidie & virium & boni habitus augmenta perciperentur. — Exacta tertia puerperii septimana rediit vero febris valida, frigus enorme, maior excepit calor; remittentis biliosae initium erat, quam post duas septimanas excepit intermittens variis typis, nunc quotidianae, nunc tertianae, imo quartanae ludens. — Incassum adhibita fuere omnia auxilia; lenta enim febris, cum expectoratione puris viridis coloris, qualis dilutae bilis est; doloribus praesertim hepatis regionem, quae etiam praeter modum a tumido extus sentiendo hepate turgebat,

occupantibus, ultimis vitae diebus prae reliquis regionem inguinalem finiſtram, eamque coxae huius horrendo modo afficientibus; decima quinta puerperii hebdomade, admodum & viribus & mole extenuatam reddidit, ita ut poſt perpeſſos graviſſimos affectus tandem misere mortem cum vita commutaret. — Emaciatum licet quoad faciem & pectus, respectu praesertim naturalis defunctae habitus, sese visui offerret cadaver; tumidum tamen praeter modum apparuit abdomen; mollis ubique, excepta hepatis regione, tactui se praebuit tumor. — Dubia cum circa expectorationis purulentae viridis supra dictae fontes; circa naturam intumescentiae & mutationis hepatis; denique circa cauſſam doloris immanis inguen finiſtrum coxamque eiusdem lateris occupantis superessent; examini subiicienda erant pectoris aeque ac abdominis contenta. Sectio integumentorum hinc a medio iugulo ad symphyſin pubis; transverſim sub umbilico per abdominis integumenta inſtituta fuit. Mirum fuit, quantum adipis & nunc cellulosam abdominis farciebat, cum pollicis craſſitiem, ni superaret, saltem aequabat. Una haec cauſſarum mollis abdominis diſtenſionis, cuius alia manifeſtam se reddidit, cum scalpellum per lineam albam, admodum expansam in peritonaei cavum penetraret; effluxit

xit enim lympha e flavo viridis coloris quantitate aliquot librarum, quae, licet fundum pelvis praesertim occuparet, flaccida, adiposo satis mesenterio suspensa intestina, tamen ita inundabat, ut haec cum omento, nequaquam adipe suo destituto, intra eam fluitarent. Hepatis volumen tale erat, ut omne intestinum colon adscendens ad caecum usque valeret; sinistrorsum adscendens a crista ilei dextri supra maximam intestinorum tenuium partem, per umbilicalem regionem, ad hypochondrium sinistrum supra ventriculum ferebatur, ita ut lienis extremum superius immediate contingeret. Figura triangularis hinc reddita fuit, ita ut apex dexter cristam ilei dextram, sinister lienem, superior diaphragmatis portionem costalem dextram, obtuso ductu in lobi dextri marginem posteriorem terminatus occuparet. Color e cinereo flavus erat; substantia ad tactum mollis, eadem, cultro anatomico secta, apparuit. Pressione partis resectae, e cavernulis minimis parenchymatis exprimebatur aliquid puriformis viridi-flavi liquoris. Lien flaccidus, paullo volumen naturale superabat. Pulmones tam quoad habitum externum, quam internum, sani erant; exigua muci viridis, cum aëre commixti, copia, bronchia & asperam arteriam opplebat. — Supererat loci, quem ultimis vitae diebus dolor gravissimus

occupavit, disquisitio. — Metastatice delatum fuisse vel in ambitum articuli femoris vel in acetabulum ipsum acre quoddam, inflammationis vel eius sequelarum signa quod efficisset, post mortem detegenda, exinde certius, sperabam, quo extremum huius lateris alterum tumore oedematoso excederet, circumferentia articuli sinistri femoris alteram ambitu superaret. — Longitudinale hinc vulnus, vasorum cruralium directione, per inguinis tegumenta ductum fuit. Circa glandulas inguinis conglobatas, tumidas, effusa haerebat lympha, illi abdominis similis, eadem ambiit arteriam, venam, nervumque cruralem. Inter arteriam & venam tanta erat similitudo externa, ut albedine, duritie, firmitate, ni haec illam superaret, saltem plane cum ea conveniret. His emota attentione, deorsum ad poplitem, sursum ad finem in venam cavam descendentem usque, ubi iliacae communis nomine nota est, cellulosam ambeuntem removendo nudata fuere comitantia sese vasa, idem cum vena hypogastrica, eius comite arteria factum est; ubique idem erat horum vasorum habitus externus. — Discissa inferius & superius simul vasa diversum liquorem miro omnino modo largiebantur, cum ex arteria sanguis limpidus, tenuis, e vena vero eiusmodi quidem sanguis, sed pure commixtus efflueret. Dissecta dicto

tractu vena parietes visui manifestavit illos arteriae crassitie excedentes, crassos ita densosque, ut stridorem sub dissectione, quae forcipis fiebat auxilio, ederent. Crassissima erat, ubi sub ligamento POUPARTII in abdomen fertur. Abluto caute a facie interna sanguine purulento, solito spissior & laxior apparuit tunica venae interna, quam praeterea evidens obducit crusta inflammatoria, tenera adeo nonnullis in locis, ut facile dilaceraretur, nunc in panniculos variae magnitudinis divisa, liquori, in quo asservatur, innatat, ita tamen ut tunicae venae adhuc continua sit, tam ubi integra adhuc habetur, quam ubi in panniculos divisa cernitur. Valvularum ab inflammatione mutatio varia occurrit; aliae enim earum lacerae, erosae quasi apparent, dum aliae, praeter modum incrassatae, tument, & nunc post longam satis asservationem fuscae rubent. Plura licet ad morbum gravem lethalem reddendum concurrant, uti ex sectione patet; ultima tamen, quae in venis acciderunt, partim locali irritatione, cuius testis immanis dolor erat; partim puris in venae parietibus geniti cum sanguine commixtione, quam certe natura ferre non valet, mortem effecisse, asserere non dubitamus.

Observat. IV.

Tertiae graviditatis septimum mensem feliciter superaverat N. N. cum praemature doloribus ad partum excitabatur. Horum auxilio luci tradidit mortuum infantem. Quo vero felicius hocce partus absolvebatur stadium, eo maioribus difficultatibus solutionis placentae negotium premebatur. Incassum omnia praeter manus auxilia erant, cuius ope post longum & difficilem, dolorificum admodum laborem, tandem deglubebatur placenta. — Haemorrhagia non minima una cum doloribus, quibus iam ante placentae solutionem, praesertim vero sub eadem, maiorive paene gradu post eandem, excruciabatur; una cum laxissimo habitu corporis, scrophuloso virus maximopere infecti, effecere ut statim post absolutam operationem, mortuae ad instar, lectum peteret. Licet analepticis, quantum per diaetam & medicamenta possibile erat, reficeretur, anodyna continuo, ad sedandum dolorem, qui nunc praesertim regionem ossis sacri occupabat, in usum vocarentur; non potuit tamen impediri, quin vehemens incenderetur febris, quae acutae primis hebdomadibus, insequentibus duabus, per quas miseram adhuc vitam traxit, lentae genium secuta est. — Sym-

ptomata cauffam malorum illuftrantia interea notanda fuere: 1) Dolores mediam & inferiorem regionis hypogaftricae partem occupantes, exinde in fundum pelvis deorsum, sursum vero ad regionem lumbarem dextram extenfi. 2) Humor puriformis albus copioso & continuo rivo e genitalibus effluens, subfoetidus. 3) Eiusdem plane naturae liquor partim & plerumque absque faecum mixtione, raro cum exigua laticis flavi additamento, ex ani orificio, emanans. Hocce rerum ftatu, feftinante gradu ad ultima fata pervenit. Emaciatum & omni sanguine exhauftum cadaver sectione disquifitum fuit. Abdominis apertura ratione partium in peritonaei sacco contentorum nil notatu dignum prodidit, praeter concretionem omenti, sat adipe turgidi, cum tuba & ovario finiftri lateris. — Remotis inteftinis tenuibus, uterus visus eft non fundum pelvis tantum, sed partem superiorem huius cavi & hypogaftriam occupans; fundus eius sphaerice eminebat, superficies anterior protuberabat, sed levi peritonaeo obducta eidem veficae urinariae membranae ex adverso iacebat absque ulla mutatione praeter eam, quam puerperium ratione ambitus produxit. Eo maior vero occurrit superficiei uteri pofterioris mutatio; peritonaeum enim, licet a fundo inde ad pollicis diftantiam usque glabrum de-

scendebat, nunc filamentis cellulofis, cum pure remixtis, cohaerebat cum inteftino recto, ita ut profurdum, quod hicce locorum inter dictas partes habetur, cavum plane defit. Pus illi fimile, quod ex vagina & ano excernebatur in vita, non exigua copia & hic haerebat. Abfterso undique pure hoc fluido, immiffoque caute in fundum cavi, cellulosa eppleti, ftylo, detecta fuit apertura ftylum recipiens, isque levi negotio in recti cavum penetravit. Venarum uterum circumdantium, truncorum hypogaftricorum turgor, idem venae cavae inferioris praesertim renem dextrum versus; rationem dedit, ut omne syftema uropoeum cum illo generationis nexum eximeretur. Nunc paries inteftini recti pofterior e medio per longitudinem diffectus ftylum antea immiffum prodidit ex apertura trium ad quatuor linearum peripheriae, scirrhosae, parum ulceratae prodeuntem, ficque ulcus fiftulosum declaravit uterum inter & rectum uno maiori, altero foramine minori in recti cavum hians. Vagina lateraliter una cum utero, cavo suo illi vaginae continuo, diffecta, puriformi materia obducta visa eft; fimili fluido scatebat uteri cavum ultra quatuor pollices longum, tres paene latum, parietibus sat adhuc a sese diftantibus. Placentae sedes in pofteriori uteri pariete eo &

nunc a reliqua uteri interna superficie discernenda erat, quod fungosa, sed non ultra duas vel tres lineas eminens, inaequalis massa, cum utero firmiter cohaerens & illi continua, eodem loco reperiebatur. Momento dignus status venarum ante dictarum ad disquisitionem coegit; mundatae hinc ab ambeunte cellulosa venae fuere; sicque omne systema venarum uteri & spermaticarum non quoad lumen tantum, sed quoad parietes solito spissius occurrit. E venis discissis merum pus effluxit, quo praesertim vena cava abdominalis in renis dextri vicinia opplebatur. Dura & tumida, a massa intra cavum haerente, pars venae cavae, quae renalem dextram recipit, per longitudinem secta, praeter crassos ultra duplum parietes, fluidum intra pus, polypum e membranis a crusta puriformi effectis superne cavum, inferne totum solidum, duos paene pollices longum, omne paene lumen venae cavae occupantem monstravit. Producebatur hic in venam emulgentem, ita ut eius trunci primorumque ramorum (tunicarum suarum inflammationem adhuc crassitie & rubedine declarantium) lumina plane obturaret. Contulere plurima ad morbum fatalem reddendum; nonne tamen & hic mors ab alienato admodum venarum statu?

EXPERIMENTA.

§. XXIII.

Observationes de vasorum inflammatione, quum hucusque, ut colligerem, copia mihi non fuit perhibita, ast morbi phaenomena oculis perspicere propriis quam maxime flagrans, mecum constitui, animalibus artis ope morbum inculcandi. Quae mihi hic occurrere notanda, quaeque ex visis redundant, candide ac manu tradam suspensa.

§. XXIV.

1) Cani adulto vasa denudavi cruralia, duos ad pollices infra inguina usque ad poplitem, utramque & venam, & arteriam tinctura illinivi cantharidum; cutem suturae ope leviter adunavi. Duos post dies, irritamenti effectus perscrutaturus, sutura reserata, vulnus se obtulit valde inflammatum ac tumidum, labiaque exsudationis ope partibus cum vicinis concreta. Vasa, materie circumfusa vix deliberanda, faciem monstrabant subrubram; interne & inferiori parte lympha coagulata erant inserta planeque invia, ad superiora vero membrana tenera obtecta, sub qua tunicae

vasorum permultis rubebant vasculis. Volumen tunicarum, praesertim vero venae, ob vasculorum turgorem maxime erat auctum. Oculi ope armati, textura detegebatur praeclara, quam vascula in vasorum tunicis constituebant. Polypus, fibrae sanguinis exsudatione subortus, firmioris compagis erat in vena, discissus vero nullum ostendit vasorum ramulum.

2) Vasa cruralia eiusdem canis eodem modo praeparata, & duos ad pollices supra poplitem rite subligata, tinctura irrigavi cantharidum. Post biduum vulnus se exhibuit aeque tumidum ac inflammatum, partiumque occurrit cohaesio. Utraque & vena & arteria habitum ferebant rubrum, sanguini passim adsperso similem: arteria ligaturae loco inprimis erat tumida, vasisque turgebat refertis.

3) Cani sexennario crus artis lege amputavi, vasisque bene subligatis, vulnus leviter devincivi. Involucris tertio die demtis, omnia bonum prodiderunt adspectum; inflammatio haud gravis, nec rubor nec tumor iusto maior, lymphae exsudatae vero magna pars, unde cutis partiumque laesarum coalitus. Vasa signa inflammationis omnino ferebant, facies enim interna materie obducta erat exsudata, subalbida, quae quasi pseudomembranam constituebat, ac magis luculenter

apparebat in arteria. Sub novo hocce tegmento tunica se obtulit maxime vasculosa, cum colore coccineo tincta.

4) Crus canis adulti itidem amputavi, vasisque rite deligatis, horum extremitates tinctura euphorbiae illinivi. Vulnus post biduum nudatum inflammationem exhibuit maxime gravem; tumor totius cruris ardorque gravis materiei saniosae ac mali odoris effluxus. Vasa praecipue incendio correpta, detegebantur rubra, undique tumida, & lympha passim circumfusa. Ligaturam solutam sanguis haud sequebatur, ob luminis vasorum arctam obturationem. Vasorum contenta maximam ad partem erant materies subalba sanguine mixta, interne fluidior, tunicam vero internam membrana sub forma obvestiens. Vena, iisdem quidem inflammationis signis stipata, materiei tamen continebat multo minorem quantitatem; sed, quod notatu dignum, cum inflammationis vestigia ultra vellem perscrutari, ad tres pollices infra regionem inguinalem, forte occurrit tumor, magnitudine phaseolae, forma subrotunda, coloreque subrubro. Accuratiori investigatione, abscessus detegebatur venae cruralis; lumina enim venae ab utraque parte erant constricta, sed non plane occlusa, ita ut acus vix posset permeare aperturam. Materies abscessus puri erat simillima; facies

ipsius interna permultis rodebat vasculis. — Inflammationis vasorum vestigia hocce in casu reperiebantur tam in maioribus iliacis, quam in minoribus ramulis per musculos dispersis.

5) Totum cuniculi crus cute denudatum, succo iridis pseudacori expresso illinivi. Et exinde cernebatur vasorum status inflammatorius, omnia cum primi, tum secundi ordinis rubebant, tumebant, nec exsiccata lotionis ope rubedinem perdebant.

6) In cuniculi abdomen, caute perforatum, humoris eiusdem semiunciam inieci. Animal ob intestinorum gravem inflammationem, sequente die reperiebatur mortuum. Inter dissectionem occurrit peritonaeum vasis turgentibus ubivis repletum, iusto crassius, cum intestinis passim concretum, ad incisionis locum adhaerens, & aperturam nova ipsius propagine occludens. Omentum, eodem modo affectum, ac artis ope quasi iniectum, cum intestinis arcte cohaerebat. Maxime vero affecta spectabantur intestina crassa, colon nimirum adscendens, descendens & coecum; lympha exsudata erant obtecta, eaque partibus vicinis arcte accreta. Vasorum vero incendium ex eorum turgore, numero, tunicarum rubore, quo quidem splendebant colore coccineo, ex membrana demum tubum intestinorum intus obducente, quam maxime elucet.

7) In venam cuniculi adulti iugularem externam semidrachmam tincturae immisi cantharidum. Animal palpitatione cordis, anhelatione, singultu, musculorum vellicatione &c. exinde correptum, paullo post exspiravit. Sectione instituta, ex venae iugularis rubore ad cordis usque insertionem descendente, vasorum coronariorum turgore, cordisque omnium vasorum quasi iniectione, statum suspicari liceat saltem subinflammatorium.

8) Eodem modo inieci tincturam euphorbiae, eosdemque animadverti effectus, nisi excipias, mortem citius evenisse, signaque inflammationis paullo esse graviora.

9) Quantitas similis opii solutionis aquosae saturatae, venae iugulari cuniculi infusa, mortem ex cordis maxima agitatione, respirationis anxietate, carotidum vibratione, musculorum convulsione &c. citissime accersivit. Signa dein occurrere evidenter inflammatoria; vena quidem iugularis & externa & interna, axillaris, arteria aorta, carotides maxime rubebant, nec lotione ruborem deperdebant. Iugularis frustulum oculo armato texturam vasculorum obtulit praeclaram, eorumque explicatione tunicae passim spissiores fuerant redditae. Aorta, inprimis ipsius magna curvatura, valde rubebat, ac interne muco molli erat obtecta. Cordis vasa sanguine impleta, & ad

minimum rubore tincta, actionum huius nimium impulsum, statumque subinflammatorium prodiderunt. Sanguis corde dextro contentus, coloris erat atrorubri, fibris albis passim striatus. Cerebri denum vasa cuncta sanguine detegebantur expansa, eorum vero incendium ex tunicarum ruboris absentia haud poterat iudicari, ita ut ex paralysi potius turgor sit deducendus.

COROLLARIA.

§. XXV.

Physiologicae quaestiones, quamquam doctrinam hominis aegri plurimum antecedant, vel potius huic, ut recte intelligatur, necessario superstructae habeantur, interdum tamen ex singulis peculiaribusque morborum observationibus haud parvum acquirunt veritatis augmentum. Quid? quod nonnulla eiusmodi existant problemata, quae nemo unquam solvisset, nisi virium commutatio artificialis veritatis aditum aperuisset. Simili modo & morbus noster descriptus, & pauca ei adiecta experimenta, nova videntur addere argumenta pro sententia stabilienda, quam celeberr. REIL (*a*), & BRANDIS de organorum motu nu-

(*a*) Archiv der Physiologie, *I. Th.* (*Memoria sulla forza vitale*. Extat in *Commentarj Medici*) BRANDIS über die Lebenskraft.

per protulerunt. Consentiunt in eo, omnem organorum motum ex materiei decompositione mutuaque eius attractione esse petendam, sanguinem vero partes praebere constitutivas, quae, ut processui vitali rite inserviant, singulis organis, pro functionis ipsius ratione, large afferantur. Vasa igitur sanguifera, secundum organorum, quibus insunt, actionum conditionem, materiem cito tardiusve advehunt, seu, quod unum idemque, magis minusve functioni prospiciunt. Attamen est pernotum, nullam fieri posse actionum commutationem viribus immutatis, dum vires ipsae actionis cuiusvis sint caussae proximae; virium vero mutatio nullibi nisi in materiei mutata structura ponenda, quae in vasis omnino dependet a tunicarum vasculis, quae quidem longe alium subeunt usum, quam quod solummodo nutriant; ipsorum impulsu vasorum actiones dirigunt, quas irritata accelerant, debilitata imminuunt, ita ut eorum praesidium & aliorum organorum functiones sequi debeant. — Optime vero vasa cordis coronaria commonstrant, quod, dum materiem afferant decomponendam, cordis motus nutriant, alantque. Celeb. BRANDIS (*a*) ex numero iam

(*a*) L. c. p. 80.

& magnitudine vasorum musculi nutritionem longe superante, atque ex materiei, quam venae revehunt, mutatione praeclare suspicatus est, cordis contractiones neutiquam ex sanguinis, cavis eius suscepti, irritatione, sed potius ex cordis musculi mutatione interna, cui praesiunt coronaria, esse petendas, qua de re certiores fieri possimus, si experimenta rem illustrantia, salva vitae integritate, possint instituti. — Verosimillimum insuper videtur, mortes subitaneas, quas cordis ardor, palpitatio, anxietas, deliquia animi aliaque praecedunt, multoties posse tribui coronariorum incendio, quod, cum cordis motus turbat, & aliorum organorum in operando concentum cito aufert.

§. XXVI.

Inflammatio cum mere morbus sit vasorum ex irritabilitate oscillationeque vasculorum aucta profectus, mihi obiici possit: nihil discriminis esse inter inflammationem organorum vulgarem & illam vasorum tunicarum, meque utrosque morbos confudisse. Equidem & libenter concedo, credoque, unam inflammationem ab altera secundum morbi & sedem & indolem nullo modo posse dictare, distinctionem illam usui loquendi esse imputan-

dam. Inflammatio nimirum, dum vasa organi alicuius ad minimum usque occupat ramulum, ipsius organi actiones mutabit, quia aucta adest materiei, efficaciae organi inservientis, advectio; hoc vero phaenomenon occasionem forsan praebuit, quod organum ipsum putarunt aegrotum. Inflammatio vero vasorum seorsim spectata, eatenus species morborum phlogisticorum haberi potest, quatenus tunicas eorum vasorum occupat, quae in decompositionem materiei hucdum non cooperantur, ideoque aliorum organorum functiones vix perturbat.

§. XXVII.

Denique hic commemorare liceat, sententiam illam, a Viris celeberr. iamiam prolatam, febrem scilicet inflammatoriam simplicem, synocham imputrem, febrem ardentem, atque inflammationem totius vasorum compagis, unum eundemque constituere morbum, nobis maxime arridere (a). Hoc quidem

(a) Ex aucta per vires nimias incitationis cordis, & vasorum actione, phlogosi incenduntur ipsorum vasorum parietes internae. Huiusmodi inflammatio, seu potius status hic vasorum phlogisticus exeunte morbo

dem videtur comprobari tum ex vi caussarum remotarum irritabilitatis temperiem attollente, tum ex signis morbi ipsius phlogisticis, demum vero ex ratione solutionis; quae fit vel aucta organorum secretoriorum actione, unde sudoris, urinae, salivae profluvium; vel totius inflammationis molis in unum systematis ramum translatione, quod, si contingit organo interno, saepe lethale est, in externo vero varios variis in locis efformat abscessus; vel uno & quidem maxime memoratu digno exitus modo, quem hucusque sanguinis in pus mutationem nominarunt (*a*). Sanguis enim cum post mortem vel pure mixtus vel puris speciem plane ferens fuerit inventus, cumque falsae de puris ortu regnarent opiniones, facillime accidit, ut mutationem sanguinis possint agnoscere. Ex puris vero ortu vasorum ope secernentium, & ex vasorum sanguiferorum inflammatione praegressa, facillime efficitur, puris ortum vasorum tunicarum intimarum secretioni, solummodo esse tribuendum.

singula parit phaenomena, quae in aliarum phlegmasiarum fine observant Medici (*Edit.*)

(*a*) GRANT, *Delle Febbri Tom. I.*
VOGELS Handbuch. B. I. p. 6.
SELLE Pyretolog. p. 107.
REILS Fieberlehre p. 441. I. Th.

OPUSCULUM IV.

METRITIDIS DIAGNOSIS, ET CURA SPECIMEN

Anno MDCCXCVII. Lipsiae habitum,

AUCTORE

CAROLO HENRICO STOELZER

MEDICO HEIBENSTOCKIO-MONTANO.

SECTIO I.

DE MORBI NOTIONE, ET PRAECIPUIS SYMPTOMATIBUS.

§. I.

De variis morbi nominibus.

Mulieribus sexus proliferum viscus frequentior chronicorum, quam acutorum morborum sedes est, inter quos *metritis* peculiare mali genus constituere videtur, quod humanae

foeminae sat periculosum, perniciosum facile, ac non gravidae aeque ac praegnanti, parturienti item & puerperae infensum valde est. Quam ob rem medici cuiusque esse censeo, ut morbum hunc, quamvis rariorem, probe cognoscat, eundemque avertere & sanare non ignoret.

Variis autem hanc aegritudinem omnis aevi medici insigniverunt nominibus. Et HOFFMANNUS (*a*) quidem eam non admodum apte, ut equidem arbitror, appellat *febrem uterinam*. LINNAEUS (*b*) & CULLENIUS (*c*) ipsi *Hysteritidis* nomen dederunt; a recentissimis autem auctoribus *Metritis* fuit vocata, quod nomen nunc quidem apud omnes fere salutaris artis magistros usu receptum est (*d*).

N 2

(*a*) *Friderici* HOFFMANNI Opera omnia physico-medica. Genevae 1761. T. II. p. 156.

(*b*) *Carol.* A LINNE' Genera morborum. Edit. Kerstens. Hamburg. s. a. p. 15.

(*c*) *Guilielm.* CULLEN Synopsis Nosologiae methodicae. Edit. IV. recudi curav. *Ioann. Petr.* FRANK. Ticini Regii. 1787. 8. Cl. I. Ord. II. G. XXI. p. 75.

(*d*) Cf. *Franc.* BOISS. DE SAUVAGES Nosologia methodica. Ed. *Daniel.* Lips. 1790. T II. p. 354. (*M.* SAGAR systema morbor. symptomaticum. 8. Vienn. 1776. p. 421. T. II.) *Ioann Petr.* FRANK epitome de curand. hom. morbis. Venetiis 1794. T. II. §. 222.

§. II.

De uteri ad inflammationem dispositione.

Etsi non adeo frequens huius visceris inflammatio est, eam tamen quandoque obvenire, experientia docuit. Ac saepissime quidem medici morbo huic puerperas, eas potissimum, quae primiparae sunt, magis quam illas, quae partum iamiam aliquoties sunt perpessae, obnoxias esse observarunt. Praeterea gravidas ille raro & longe rarius non gravidas foeminas, easque, quae extra matrimonium vivunt, aggreditur. Virgo menstruata magis in illum inclinat, quam ea, quae non menstruata & uterinae sanguinis excretioni necdum adsueta est, quamvis in utroque casu morbus rarissimus esse soleat. Neque minus raro hoc incendio illae prehenduntur, quibus menses ob aetatis rationem cessarunt. Nuptae, provectioris aetatis primiparae aut omnino foeminae, quae ob muliebrium locorum rigiditatem aegre prolem enituntur, facilius in hunc morbum ruunt, quam eae, quae aut coniugio non fruuntur, aut iuniores sunt; quin ipsae primiparae, quae adhuc florente aetate gaudent, ad hunc morbum minus proclives inveniuntur. Apparet proinde, uterum, qui aut

menses nondum excrevit, aut ob aetatis rationem menstruum sanguinem excernere cessavit, ad inflammationem parum inclinare; cuius rei caussa in minus irritabili huius visceris natura, quae hoc tempore obtinet, posita esse videtur; e contrario autem haec muliebris corporis pars vel maxime ad hunc morbum disposita est, postquam menses iam eruperint, iique potissimum in fluxus opere a caussis violenter supprimentibus fuerint perturbati. Namque irritabilitas uteri hoc ipso tempore magis adaucta est, eaque hoc viscus ad inflammationem aptissimus reddit (*a*).

§. III.

Symptomatum metritidis characteristicorum brevis recensio.

Huius autem inflammationis perfecta succinctaque *definitio* exhiberi non posse vide-

(*a*) Cf. *Christ. Gotth.* KIESLING differt. sis. uterum post partum inflammatum. Lips. 1754. *Ioann. Christ ph.* GEBHARD differt. de inflammatione uteri. Marburg. 1785. *Ioann. Petr.* FRANK epitome loc. cit. *Sam. Gottl.* VOGELS *Handbuch der pract. Arzneiwissensch.* 4. *Th.* 1795. Cap. 13. §. 7. p. 422. GAUTIER de irritabilitat. notione, natura & morb. (Sylloge Opscul. Vol. I. Opusc. II.)

tur, quod symptomata, quae cum hoc morbo coniuncta sunt, ita variant, ut paucis verbis comprehendi vix possint. Atqui haec ipsa symptomatum veluti inconstantia, quam apud eas, quae hoc malo laborant, animadvertimus, obfuit etiam, quo minus ii, qui nuper de *Nosologia* accurate scripserunt, nostri morbi veram, omnibusque numeris absolutam definitionem exhiberent. Etenim id viscus, in quo malum residet, in variis suis regionibus inflammari potest, & cum alia ipsi viscera proxime adiaceant, aut cum eo coniuncta sint, inter quae v. c. vesica urinaria, intestinum rectum &c. pertinent, haec ipsa facile in consensum trahet, sic ut itidem praeternaturali modo afficiantur. Pro varia igitur sede inflammationis, eiusque in utero extensione, aut pro effectibus eius variis, qui in adiacentibus partibus se exserunt, varia, eaque a se invicem plus minus diversa emergunt symptomata. Attamen medicus certo colligere potest, uteri adesse inflammationem, si symptomata compareant fere haec:

1. Dolor ardens, lancinans, punctorius, gravativus fixusque, qui in affecto uteri loco h. e. in hypogastrica vel pelvis regione sentitur. Plerumque aegrotantes dolorem ei, qui a carbone accenso producitur, fere similem, interdum pulsantem persentiscere se dicunt.

— Etsi vero hic dolor in uteri inflammatione certo cuidam loco affixus haeret, ab initio tamen, certe in quibusdam casibus, non continuus deprehenditur; subinde namque remittit, mox autem, quasi ut dolores post partum, maiori vehementia aegram denuo adoritur, eamque valde excruciat. Atque id certe in puerperis observatur; at in iis, quae utero non gerunt, aut non a longo inde tempore gravidae sunt, dolor magis continuus esse consuevit (*a*).

2. Anxietas, quae omnibus fere abdominis inflammationibus communis est, nostrum etiam morbum concomitatur: & simul adest.

3. Febris acuta quae mox intensior ac vehementior, mox mitior ac levior est.

CULLENIUS (*b*) in definiendo hoc morbo erravit in eo, quod diceret, ubique abdominis tumorem, orificii item uterini dolorem ardoremque ab attactu auctum comparere. Namque abdominis tumor certe in morbi initio non ubique adest, neque observatur, nisi tum, cum inflammatio in uteri fundo, vel in eius-

N 4

(*a*) Cf. *Ioann. Petr.* FRANK l. c. §. 225.

(*b*) CULLENII (l. c.) definitio haec est: *Pyrexia; hypogastrii calor, tensio, tumor & dolor; os uteri tactu dolens; vomitus.*

dem facie anteriori haeret. Praeterea ardor, dolorque uterini oris se exploranti in eo tantum casu offert, ubi inflammatio circa cervicem & osculum uteri residet. Quodsi autem alias uteri partes incendium occupat, haec symptomata, quae a sede & vehementia ipsius inflammationis pendent, vix ac ne vix quidem adsunt. Neque in eo assentiri CULLENIO possum, cum *vomitum* semper cum hoc morbo coniunctum esse dicit; is enim mihi symptoma consensuale & accidentale metritidis videtur esse, utpote qui nonnisi in sensibilibus aegrotis compareat, quarum ventriculus facile a re quavis afficiatur, maioremque cum utero habeat consensum; ceterum hoc symptoma, si adsit, in uterini fundi inflammatione utplurimum animadvertitur, in reliquarum visceris huius partium phlegmone non item. Sic certe ab ea metritide, quam egomet ipse in Nosocomio magno civico Vindobonensi observavi, vomitus plane aberat (*a*). Quae cum ita

(*a*) Hanc observationem etiam fecisse videtur auctor vernaculae versionis CULLENII Nosologiae, cui titulus est: *William Cullens kurzer Inbegriff der mediz. Nosologie. Aus dem Engl. Leipzig* 1786. ubi in T. I. ad notam p. 158. dicit: non ubique vomitus adest. (Porro cf. ad h. l. *Ios.* MOHRENHEIMS Beobachtungen verschied. chir. Vorfälle. Dessau 1783. 2. Band. p. 130.) C. G. SELLE neue mediz. Beyträge z. Nat. u. Arzneywissensch. Berlin 1782. 2. Th. p. 50. seqqu.

sint, mentionem huius symptomatis in morbi nostri definitione non faciendam esse patet.

§. IV.

De quibusdam symptomatibus, quae ab uteri cum aliis partibus consensu & diversa inflammationis sede pendent.

Varia morbi nostri facies est, prout hanc vel illam uteri regionem inflammatio occupat; neque vero dubitari ullo potest modo, quin eiusmodi phlogosis in diversis uteri locis existere queat; nam clinica experientia medentes saepenumero de hac re convicti fuerunt. Atque ex hac caussa fit, ut dolor mox in hac, mox in alia parte sentiatur & reliqua etiam symptomata diverso modo varient. Quod autem ad sedem mali attinet, aut in *certa quadam uteri parte* tantum inflammatio locum habet, aut *totus uterus* est inflammatus. In priori casu eiusmodi incendium in valde diversis locis, aut in uteri fundo, aut in eiusdem cervice, aut in facie uteri anteriori aut posteriori, aut denique in partibus lateralibus sedem habere potest. Ac singularum fere harum partium, si eiusmodi inflammatione affectae sint, malum cum peculiaribus quibusdam symptomatibus coniunctum est, quae breviter recensebo:

Si *uteri fundus* inflammatione prehendatur, dolor & tumor imum abdomen circa regionem umbilicalem occupant, sic ut quasi hemisphaerium persentiatur, circumscripte tumidum & durum; dolor praeterea, si hic locus digitis vel leviter tantum tangitur, valde increscit. Hanc inflammationem facile vomitus & singultus, ob ventriculi & septi transversi vicinitatem, concomitantur (*a*). SELLIUS (*b*) in metritide rarius tumere abdomen dixit, cuius quidem sententiae ego adstipulari non possum, cum iste tumor in uterini fundi inflammatione utplurimum adesse deprehendatur; namque eius praesentia ubique a sede & vehementia inflammationis pendet. Forsan SELLII observatio de eo uteri incendio tantummodo valet, quod non in fundo, sed in aliis eiusdem partibus residet, aut nonnisi uterum haud gravidum, neque dilatatum, occupat. Si vero circa *cervicem* & *os uterinum* haereat inflammatio, hae ipsae partes admodum dolent, ita ut explorantis medici attactum recusent, inprimis cum uterum sursum quasi attollere conetur; sunt praeterea hae partes siccae, calidae, durae, tensae & subtumidae, osque uteri

(*a*) Cf. *Sam. Gottl.* VOGEL l. c. §. 2.

(*b*) C. G. SELLE Medicina clinica. Berlin. 1793. 8. p. 503. & *Eiusd.* Beiträge 2. Th. p. 56. No. 3.

occlusum, versus interiora &c. superiora retractum digito in vaginam immisso veluti obvertitur (*a*). Dolor & gravitas in ima pelvi haerere videntur, atque utplurimum in hoc casu simul totam vaginam, imo labia pubis externa phlogosis tenet, calorque, tumor & ad tactum sensilis dolor in pubis regione externa observantur. Ceterum abdomen nec tumidum, nec ad contactum dolens primo saltem morbi initio esse facile solet. Si autem *partes* uteri *anteriores* inflammentur, tum dolorem aegrotans in pelvis regione anteriori accusat; est quippe illa sensilis, tensa subinde & subtumida, urinae excretio plus minus difficilis deprehenditur, indeque initio dysuria, stranguria & postea ischuria gignitur; in quo casu medicus ad *vesicae*, utero adeo vicinae, inflammationem, quae morbum forsan sistit primarium, attentissimus sit necesse est (*b*). Si *posteriores* uteri *partes* incendantur, dolor tum magis profundius in intestini recti, lumborumque regione percipitur, simulque alvus cohibetur, frequens desidendi stimulus & ve-

(*a*) Cf. MOSCHIONIS de mulierum passionibus Liber. Edit. a F. O. *Dewez*. Vienn. 1793. Cap. 127. p. 64. AETII Tetrabibl. IV Serm. IV. Edit. *Cornarii* 1549. Basil. Cap. 85. p 893.

(*b*) Monet hoc *I. P.* FRANK l. c. §. 225.

narum haemorrhoidalium turgor, gravisque tenesmus manifestantur. Si *partes* uteri *laterales* ardeant, inguina, quin ipsas coxendices tendi, doloribus vexari, crura gravari, aegre moveri & ad motum hebescere ac torpere videmus; interdum hae ipsae partes subtumidae fiunt & quibusdam aegris crus ipsum, quod e regione est, per incessum claudicat (*a*). Plerumque etiam in puerperis matrix in illud latus vergit, & retrahitur, in quo incendium haeret, & uteri cervix cum suo osculo ad oppositum latus inclinat (*b*). Si denique *totus uterus* inflammatus fuerit, omnia modo singulatim recensita symptomata animadvertuntur & diversimode inter se miscentur, morbus vehementius & intensius, ac si qua tantum uteri pars vexetur, urget, omniaque coniunctim torquent mulierem symptomata. Subinde fit,

---

(*a*) Haec symptomata iam annotarunt AETIUS AMIDENUS l. c., & *Paulus* AEGINETA in opere de re medica. Parisiis 1532. p. 103. Lib. III. Cap. 64. & *Nicol.* PISO de cognoscendis & curand. morb. Vindobon. 1766. Lib. III. Cap. 57. Videntur haec symptomata a musculi psoae, utriusque iliaci, nervorumque cruralium compressione, ab inflammato utero producta, originem suam habere.

(*b*) Hoc idem iam monent AETIUS l. c., *Paul.* AEGINETA l. c., & *Nicol.* PISO l. c., & *Ludovicus* MERCATUS de communibus mulier. affectionibus. L. II. Cap. 17.

ut *superficies* uteri *interior* solummodo experiatur phlogosin, ac tum quidem saepe singularia illa vicinarum partium, per consensum affectarum, symptomata plane absunt, neque tensio aut tumor abdominis externe in conspectum venit, fereque semper profundus tantum, ardensque dolor hic superest (*a*). Notari quoque meretur, quod rarius fiat, ut inflammatio tantummodo in hoc vel illo uteri loco accidat, ita ut ex symptomatum praesentia certo dicere possimus, hunc vel illum visceris huius locum solum incensum esse; namque frequentius evenit, ut plures uteri regiones simul inflammatae sint, vel regionis cuiusdam, quae sola patitur, incendium mox ad alias partes progrediatur, easque afficiat. Sic in ea aegrota, cui ego adstiti, praeter uteri fundum, partes eiusdem laterales itidem laborare videbantur. Interdum uteri inflammatio in vicinas transit partes, vel earum incendium cum uteri inflammatione eandem caussam agnoscit. Uteri quippe inflammatio facile ad vaginam, adeoque etiam ad partes genitales externas propagatur (*b*). Saepe metritis ovaria, uteri ligamenta & tubas, vesicam urina-

(*a*) Cf. *Sam. Gottl.* VOGEL l. c. §. 2.
(*b*) Cf. *M. Franc.* MAURICEAU *traité des malad. des femmes grosses &c. Paris* 1740. L. I. Cap. 24.

riam, intestinum rectum, aliasque intestinalis tubi partes, peritonaeum item & alia abdominis viscera, quae utero adiacent, in consortium inflammationis trahit. Ad menstrua, lochiaque quod attinet, fluere ea quandoque in hoc morbo cessat (*a*), (qui eventus eiusdem morbi caussa aut effectus est), quandoque vero eorum effluvium continuat, quo in casu lochia mox discolora, bruna, graveque olentia (*b*) e vagina prodeunt. Mammae aut turgent, & dolent (*c*), aut lacte spoliatae flaccescunt & concidunt (*d*). Accedunt nonnunquam dolores ad pectus, costasque & collum, qui quandoque ad claviculas protenduntur (*e*). Pectoris oppressio, respiratio angu-

(*a*) Cf. SELLE *Beitr. Th. II.* p. 51. & seqq. Supprimebantur & in eo casu, quem ego observavi, lochia.

(*b*) Cf. idem SELLIUS l. c. p. 53. & 57. n. 5. & *Eiusd.* medic. clinica, p. 503. Effluxus talis foetidus non semper apud puerperas mali ominis est, saepe enim in partibus, e. g. labiis, vagina, aliquid remanet, quod loci calore & aëris accessu corrumpitur, foetidumque odorem assumit.

(*c*) Cf. *Daniel.* SENNERT medicina pract. L. IV. Part. I. Sect. II. Cap. XIII. SELLE medic. clinica p. 503. & MOHRENHEIM l. c. 2. *Th.* p. 130. In meo casu & mammae lacte turgebant & dolebant.

(*d*) Cf. SELLE *Beitr.* l. c. p. 50. & 53.

(*e*) Hoc iam observavit HIPPOCRATES de nat. muliebr. T. II. p. 366. XII. Edit. *v. d. Linden.* Cf. *Nicol.* PISO l. c., & *Daniel.* SENNERT med. pract. l. c. Ego & ipse hos ad pectus dolores observavi.

anxia, inſimulque tuſſis ſicca & moleſta accedunt; cephalalgia ad oculorum baſin & radices, interdum ſingultus, aegrotantem divexant. Dolores & ventris cruciatus ſub alvi excretione aut aliis niſibus acerbiſſimi fiunt. Ceterum ipſa adeo aegrota parum commode in omnem corporis partem movetur, ita ut nec ſedere, nec ſurgere, nec pedibus ingredi poſſit.

Variae ergo ſunt affectiones, quae metritidi accedere poſſunt & ſolent; cum enim conſtet, uterum magnum cum aliis partibus, ipſi plus minus vicinis, conſortium habere, facile quiſque intelligit, ſymptomata hinc originem ducere, quorum alia morbum perpetuo comitentur, alia rarius adſint & apud nonnullas tantum aegrotas obſerventur. Facile ceteroquin intellectu eſt, metritidis diagnoſi in gravidis & puerperis, quarum uterus diſtendatur & e pelvi aſſurgat, ut tactui ſe offerre foris poſſit, minori difficultate premi, quam in non gravidis; etenim in eiuſmodi caſu, perquam difficile morbus noſter dignoſcitur, quod moles uteri parva, non ſupra pelvim extenſa & ſublata ſit, tactuque verus eius ſtatus vix detegi queat. Praeterea abeſt etiam in hoc ipſo caſu fere omnis ab abdomine tumor.

§. V.

De signis, quibus metritis ab aliis morbis, qui ei similes sunt, distingui potest.

Cum metritidis diagnosis subinde ex variis caussis difficilis, dubiaque reddatur, eos morbos, qui magnam cum illa similitudinem habent, breviter hic puto recensendos esse, quo melius ab iis distingui nostrum malum queat. Atque huc potissimum referri merentur:

1. *Peritonitis puerperalis*, vel sic dicta *febris puerperalis*. In hoc quippe morbo similia symptomata, velut tumor, tensio, dolorque abdominis cum febre acuta comparent, ita ut medicus dubius, anceps que sit, quam diagnosin facere debeat. Sed differentia cernitur in hoc, ut in metritide abdominis tumor vix tam celeriter, quam in peritonitide puerperali increscat; & cum in metritide abdominis tumor non praesto sit, nisi in uterino fundo inflammationis sedes est, hic tumor solus dolens, subrotundus, circumscriptumque expansi uteri segmentum durum referens, in regione super pube media percipitur, cum e contrario in peritonitide puerperali totum fere abdomen tumeat, doleat & valde tensum sit. Dolor in metritide etiam abdomen multo citius

tius invadit, ac in peritonitide puerperali evenire solet (*a*). Incipit praeterea peritonitis puerperalis utplurimum cum insigni virium prostratione, pulsuque mox frequentissimo; ceterum apud has aegrotas magna animi abiectio observatur, insignisque adest ad diarrhoeam proclivitas. Accedit, quod metritis maxime a caussis localibus manifestis originem ducit, cum peritonitis magis caussas universales, interdum epidemicas, agnoscat. Porro non conspicua sunt ea signa, quibus sedes inflammatae uteri regionis peculiaris dignoscitur, inter quae v. c. crurum torpor, urinae & alvinae excretionis difficultas (*b*) cet. pertinent. Quod reliquum est, metritidem morbum a peritonitide puerperali plane diversum sistere, funerum, peritonitide puerperali demortuorum, dissectionibus, ab HULMIO, HOMIO, LEAKEO & FRANKIO institutis (*c*), edo-

(*a*) Cf. C. G. SELLE n. Beitr. Th. II. p. 56. n. 2. & KURT SPRENGELS Handbuch der Pathologie Leipzig 1795. Th. II. p. 461.

(*b*) Has etiam affectiones plures auctores inter peritonitidis puerperalis symptomata recensent, sed tunc videtur, symptomaticam uteri vel aliorum viscerum inflammationem simul adfuisse. Sic. v. c. WALSH (Pract Bemerkung. über die Kindbettf.; aus d. Engl. Leipz. 1788. p. 25.) crurum torporem inter peritonitidis signa notat.

(*c*) *Nath.* HULME vond. Kindbettfieb. Leipz. 1772.

cti sumus, quibus quippe constitit, uterum ab inflammatione prorsus liberum mansisse. Etsi vero uterus in eiusmodi funeribus saepe insons repertus est, saepe tamen metritidem peritonitidis puerperalis effectum fuisse, aliae observationes docuerunt.

2. *Cystitis* etiam magnam habet cum nostro morbo similitudinem; in hac autem inflammationis specie, praeter mingendi difficultatem, dolor, tumorque subinde in regione hypogastrica comparent. Haec quidem symptomata haud absunt a metritide, si in facie uteri anteriori inflammatio residet, quorum caussa in vesicae propinquitate posita est; ast differt cystitis a metritide in eo, quod caussae plerumque locales, uterum laedentes, praecesserint, aegraque puerpera sit; his enim foeminis rarius accidit vesicae inflammatio, quae utplurimum a caussis longe aliis, v. c. a calculo cet. oritur; & si omnia symptomata sedulo inter se comparata fuerint, facile dignosci poterit, metritis, an cystitis morbus primarius sit.

3. *Enteritis* alius morbus est, qui facile

HOME clinische Versuche. Leipz. 1781. *Iohn.* LEAKE pract. Bemerkungen der Krankh. der Kindbett. und Schwang. Leipzig 1775. *Ioann. Petr.* FRANK. l. c. T. II. §. 217.

eum uterina inflammatione potest confundi, quod in iis, qui eo affecti sunt, ventris cruciatus, tensiones, tumores & subinde vomitus observantur. Sed distinctionis notae in eo fere sitae sunt, quod in metritide tumor abdominis uteri expansi figurae in regione super pube media respondeat, aegrotaque puerpera sit, in qua quippe rarius obvenit suspicio intestinorum inflammationis, quae a caussis plerumque localibus, ab iis, quibus metritis originem debet, longe diversis, oboriatur; ceterum in illo intestinorum morbo vomitus, dolorque, a quovis mox assumto potu vel medicamine saepe adaugentur, in metritide non item. Observatur etiam in illo alvi obstipatio pertinax, quae metritidi non propria est, & tandem singularia illa phaenomena, quorum caussa in inflammatae uteri partis regione posita est, deficiunt, doloresque in enteritide aeque ac in cystitide non circa pectus, neque in costarum, clavicularumque regionibus comparent.

4. *Dolores post partum vehementes, diuque durantes* itidem subinde mentiri uteri inflammationem possunt; sed ii sine febre aegram invadunt; praeterea dolorem puerperae in metritide fixum, ardentem, quasi candens carbo in abdomine situs esset, aut pulsantem, fere continuum accusant, eumque ipsae, si iam olim pepererint, facile distinguunt ab eo, qui

poſt partum fere contingere solet; etenim ab hoc dolore longe alia ratione afficitur aegra, quam ab illo; accedit, quod dolor poſt partum per vices remittit, abdomenque, non adeo senſile in hoc casu, attactum foris magis perfert (*a*). Tumor abdominis in puerperio naturalis, per plures plerumque dies perſiſtens, mollis percipitur, & indies imminuitur, tangentique abdomen manui uteri globus contractus & imminutus, neque dolens, occurrit. In metritide vero tumor augetur & increscit, ſi incendium nempe ad fundum haereat. Deficiunt quoque symptomata peculiaria uteri loci inflammati. Interim medicus sedulo ad hos dolores animum advertat, neceſſe eſt, ubi diutius durent, continuique ac fortiores fiant; nam ſi ita se habeant, suſpecti omnino sunt, cum ſic saepe clandeſtino modo uteri inflammatio paretur. Ceterum diagnoſis in eiusmodi casu paululum difficilior redditur, ſi hi ipſi dolores in tempus illud incidunt, quo *febris* ſic dicta *lactea* mulierem tenet. Febrem vero, non item metritidem, eſſe, qua

(*a*) Cf. *Simon* ZELLERS Bemerkungen über einige Gegenſtände aus der practiſchen Entbindungskunſt. Wien 1789. p. 21. seqq. HAMILTONS Unterricht in d. Behandl. der Frauenzimmer und neugebohrn. Kinderkrankeiten; aus d. Engl. Leipzig 1793. p. 201.

aegra laboret, accuratum & assiduum eorum abdominalium symptomatum, de quibus retuli, examen docebit.

§. VI.

De varia divisione & speciebus metritidis.

Quod ad morbi nostri diversas species attinet, vario modo eae a variis medicis determinatae sunt. Primum omnes fere medici duas huius morbi, ut omnium reliquarum inflammationum, species assumunt, quarum alteram, in qua nempe tumorem inflammatio referat, metritidem *phlegmonosam*, alteram, ubi magis superficialis inflammatio fit, metritidem *erysipelaceam* dixerunt. Etsi vero non dubito, quin hic dividendi nostri morbi modus experientia innitatur, ab eaque confirmetur, tamen fatendum est, notas, certe in plurimis casibus, adhucdum desiderari sufficientes, quibus altera harum specierum ab altera distingui commode possit; hinc divisionem hancce vix cuiusdam momenti in clinica praxi esse patet.

Alii auctores metritidem in *acutam*, quae paucis diebus praeterlapsis finiatur, & in *chronicam*, quae per hebdomadas, mensesque excruciet mulierem, dividendam esse iudicarunt.

Alii denique nostrum morbum esse vel *primarium*, vel *secundarium* dixerunt, eumque sic censuerunt distinguendum. Et in peritonitide quidem puerperali saepe ad uterum transiisse inflammationem, experientia docuit, ut plurimi adeo medici febris puerperalis caussam proximam in uteri inflammatione positam esse crederent. Neque cystitidem, genitalium item externorum & intestini recti inflammationem metritidem sibi sociam quandoque adiungere negari potest; atque inde elucescit, metritidem interdum secundarium ac symptomaticum (*a*), non item primarium morbum esse.

Sed his partitionibus, de quibus disputavi, magis utilis ea est, quae simul maxime essentialis dici meretur, in qua potissimum *febris*, inflammationem uteri localem concomitantis, *naturae indolisque diversae* ratio habetur. *Febris* ergo, quae cum locali uteri inflammatione coniuncta reperitur, aut *inflammatoriae*, aut *nervosae* indolis est, ideoque *metritidem* nunc *inflammatoriam*, nunc *nervosam* (*b*) appellandam esse equidem iudico.

(*a*) F. G. GALL philosoph. mediz Untersuchungen über die Natur und Kunst im gesunden und kranken Zustand. Wien 1791. 1. Th. p. 122. Enarrat hic Auctor memorabile exemplum metritidis symptomaticae, ubi in foemina gravida ab hernia incarcerata cuncta fere inflammatione correpta sunt viscera, quae inflammatio mox praegnanti communicabatur utero.

(*b*) Febrem sic dictam putridam, biliosam sub com-

§. VII.

De febris metritidi adiunctae diagnosi.

Ad naturam febris, quam comitem habet uteri inflammatio, bene eruendam summa interdum requiritur & in observando diligentia, & in iudicando acies. Neque enim suf-

muni *febris nervosae* nomine comprehendo, & cum *Iosepho* FRANKIO quamcunque febrem nervosam nomino, quae minime inflammatoria est. Vid. eius *Ratio instituti clinici Ticinensis*. Ticini 1797. 8. De febris enim biliosae & putridae peculiari natura ex multis caussis valde dubito; biliosa enim aut putrida phaenomena febris effectus, non caussa sunt. Cf. *I. P.* FRANK prolusio de larvis morborum biliosis recus. in *delect. opuscul. T. I.* & in *Eiusdem opusculis medici argumenti*, *antehac seorsim edit. nunc collect. Lips.* 1790. & *Eiusdem* Praefatio ad filii Rationem instituti clinici Ticinens. *Eiusdem* Epitom. T. I. §. 92. & §. 107. *Ios.* FRANK Ratio instituti clinic. Ticinens. *Ioh. Christ.* REIL memorabil. clinicor. Fasc. IV. Hal. 1795. *I. U. G.* SCHAEFFER über Sensibilität als Lebensprincip in der organischen Natur. Frankf. 1793. p. 80. 107. cet. KREYSIG de peripneumonia nervosa. Lips. 1796. p. 2. *Fr.* MILMANN Untersuchung der Symptome des Scorbuts und der Faulfieber; übers. von Lindemann. Berlin 1795. VACCA BERLINGHIERI sulle febbri dette putride. Lucca 1781. *Giur.* PRATOLONGO discorso sulle febbri, che si dicono putride. Genova. 1786. MELBER diss. de febre putrida. Ienae 1794.

ficit, ut symptomatum, quae tempore exacerbationis & praecipue remiſſionis adsunt, diligens & accuratus medicus inſtituat examen, sed ſimul omnem adhibeat operam neceſſe eſt, qua in cauſſas, quae morbum praegreſſae ſint, & in aegrotae diſpoſitionem, qua ea ad hanc vel illam febrim magis proclivius reddatur, sollicite inquirat, cauſſasque seu potentias nocentes, ſive ſint universales, ſive locales sedulo expiscetur, regnantem item morborum indolem consulat, atque ſic febris, metritidem concomitantis, naturam diiudicet. In eo casu, ubi metritis a locali cauſſa orta eſt, medicus febris naturam ex symptomatibus aeque ac ex praedispoſitione, corpori inhaerente, eruat oportet. Saepe tamen hic fit, ut localis violentia, a qua uterus laeditur, adiunctam habeat unam, alteramve cauſſam, quae inter universales pertinet (*a*), cuius indagatione certior medicus de vera metritidis natura reddi poteſt. Iam, cum de febris, hanc localem inflammationem circumdantis, diagnoſi in universum dixerim, ad ſingulam metritidis speciem uberius describendam me accingo.

(*a*) Cauſſa universalis irritans aut debilitans adsociatur locali, uterum laedenti cauſſae, a qua proxime orta eſt metritis, v. g. metritis oritur ab uteri laeſione, quae cum inſigni haemorrhagia coniuncta eſt.

A. *Metritidis inflammatoriae descriptio.*

Febrem, quae metritidem comitatur, inflammatoriae indolis esse, docent consueta isti symptomata, quorum plura aut pauciora aegrotantem excruciant. Incipit vero illa utplurimum cum horrore, quem insequitur intensus calor cum ardente in imo ventre dolore, ceterisque metritidi familiaribus, quae iam antea commemoravi, symptomatibus. Interdum affectio partialis plus minus increscit, priusquam totum systema vasorum in consensum trahitur ac turget. Pulsus in principio inflammationis utplurimum sunt pleni, vibrantes, magni, duri & frequentes, mox vero, ubi morbus increverit, parvi plerumque & contracti fiunt, ob magnam huius visceris irritabilitatem & cum aliis partibus consensum (*a*). (Hinc non ubique ex pulsu solo de febris natura ferendum esse iudicium patet). Praeterea sitis intensa & urens cum oris & linguae siccitate & ad sinciput cephalaea accedunt. Facies imo tota cutis plerumque rubore suffunditur. Vultus vividus, totusque aegrotae externus habitus vegetus deprehenditur. Colli

(*a*) Cf. GAUTIER de irritabilit. notione &c.

& temporum arteriae pulsant, oculi fulgent rubentque; respiratio agitata, anhelosa & calida est, tussis vero ficca, urina flammea, rubra, in colorem lateritium abiens, alvus ficca, aut suppressa. Calor cutis magnopere auctus, aequalis per cutem diffusus observatur, sub continuato vero per aliquod tempus attactu imminutus sentitur; attamen caloris gradus pulsuum conditioni, eorumque frequentiae aut duritiei respondet. Ceteroquin cutis ficca, interdum dura & aspera fit; urgent deliria plerumque ferocia. Symptomata autem & caussae nervosae febris desiderantur.

Haec metritidis species adoritur maxime foeminas robustas, plethoricas, iuvenes, quae corporis & animi viribus, & actionibus vigent, porro victu lauto, animali utentes, bene appetentes cum digestione debita, spirituosis forte abutentes, vitam degentes exercitatam in aëre libero, ruris incolas, & denique fibra rigida & compage solidorum firma constructas. Morbo forte praegressae sunt caussae irritantes, e. g. cibi, potusque calefacientes, labores nimii, longa intentaque deambulatio, validus corporis motus, animi pathemata excitantia, frigoris calorisque vicissitudines, quibus totum corpus aut inprimis genitalia afficiuntur, pharmacorum calidorum, sic dictorum emmenagogorum, abortivorum, aristolo-

chicorum aut ecbolicorum abusus cet. Interdum epidemica conſtitutio, in omni aegrotante tunc occurrens, inflammatoria eius, de qua hic loquor, metritidis formae suspicionem recte movet. Si puerpera ſit, quae metritide laborat, medicus summa cura aegram examinet, neceſſe eſt, ut, qua sanitate graviditatis tempore ſit gavisa, quomodo pepererit, & primos puerperii dies peregerit, intelligat. Ceterum, etſi puerperis rarius accidit inflammatoriae indolis metritis, quandoque tamen eiusmodi foeminas huic morbo expoſitas eſſe, propria me experientia docuit, qui robuſtam & plethoricam puerperam vera uteri inflammatione affectam viderim. Ad symptomata febris inflammatoriae quod attinet, monendum adhuc eſt, ea tantum morbi initio plerumque adeſſe, invalescente autem & ingravescente morbo utplurimum debilitatis *spuriae* & *apparentis* symptomata in conspectum prodire, e. g. extremorum frigores, faciei pallorem, pulsus parvos & inordinatos, debilitatem magnam cet. in quo casu saepe perdifficile eſt de morbi, qui nervosae febris veluti faciem aſſumserit, vera indole iudicium ferre. Sed dubium plerumque diluitur, ſi diſpoſitionem corporis inflammatoriam adfuiſſe, cauſasque, quae irritandi vim haberent, morbo eſſe praegreſſas intellexerimus. Neceſſe inprimis eſt,

ut therapeuta remiſſionis tempus observet, ſimulque omnia phaenomena attentus perpendat; interea vero leniora potiſſimum debilitantia seu antiphlogiſtica adminiſtret medicamina, eorumque effectus ſtrenue observet, donec morbus larvam deponat, certiorque de vera mali indole factus medicus, mox efficacioribus morbum impugnare poſſit armis (*a*).

B. Metritidis nervosae descriptio.

Haec labes foeminam cum horroribus, vagis plerumque ignibus intermixtis, adoritur, quibus mox caloris intenſioris acceſſus cum hypogaſtrii cruciatibus, ceterisque metritidi consuetis symptomatibus succedunt; subinde etiam imi ventris affectiones febrem praecedunt. Interdum lente morbus ingruit. Pulsus parvi, contracti & inaequales sunt, atque moderata, vel admodum accelerata frequentia mi-

(*a*) In metritide inflammatoria, uti in aliis viscerum inflammationibus phlogiſticis, diatheſis ſthenicae violentia, aut prava curandi methodo, morbus vere aſthenicus fit, indolis utplurimum indirectae. Caveant hinc Medici, ne huiusmodi morbi periodo decipiantur, & sollerter animadvertant tum inflammationis opportunitatem praegreſſam, initium, decursum, & violentiam, tum effectus methodi incitantis vel antiſthenicae, qua uſi sunt. Hoc modo facile erui poteſt, utrum metritis, iam indolis phlogiſticae, & nunc aſthenicae, ad debilitatem potius indirectam, quam directam pertineat (*Edit.*)

cant. Aegrotans, quae plerumque pusillanimis, moestaque est, & de salute recuperanda fere desperat, insignem totius corporis lassitudinem, virium item languorem & artuum saepe quasi torporem accusat; a minimo motu & nisu pulsus frequentior fit, atque debilitas totius corporis augetur. Maior simul vel minor gastricorum symptomatum apparatus inprimis hic urget. Calor cutis nunc intensus, sub attactu saepe acrior, nunc moderatior est, atque siccus, vel copiosus sudor symptomaticus observatur. Capitis dolores vehementes super orbitarum regionem, qui ad occiput usque propagantur, aegra sentit, conqueriturque simul de aurium tinnitu & susurru; auditus sensus nunc acutior, nunc obtusior esse solet, simulque capitis gravitas & vertigines adsunt. Faciei color plerumque pallidus est, vel admodum variat, eaque collapsa cum totius aspectus mutatione cernitur; oculi dolent & rubent, lucisque aut impatientes sunt, aut avide eam concupiscunt, eorum item splendor vel auctus est, vel imminutus; lingua humida vel sicca & arida, postea dura, interdum nigricans, tremulaque est cum siti perpauca aut plane nulla; interdum adeo eiusmodi aegrae omne potus genus aspernantur & aversantur (*a*).

(*a*) V. SAGAR l. c. qui metritidis cum hydrophobia coniuncta mentionem facit.

Delirat aegra nunc leviter & blande, nunc furiosius, nocturno tempore vigiliis & insomniis torquetur. Respiratio frequens fit, dentium stridor & hinc inde tendinum subsultus, extremitatum item tremores, levesque corporis concussiones, pavores aut convulsiones observantur. Interdum aegrae de doloribus ad articulos manuum & digitorum conqueruntur. Totum abdomen intumescit & miliaria aut petechiae efflorescunt, ad inferius abdomen apparet rubor, ad umbilicum usque se extendens, qui denique nigrescit (a). Lochia aut menstrua foetida & ichorosa effluunt. Alvus aut tarda & suppressa, aut laxa & profusa observatur, aut cum ipsis urinis involontaria. Urinae aut tenues, limpidae, aut turbidae, crassae & iumentosae sunt. Interdum omnibus his symptomatibus aphonia, visus abolitus, catalepsis, tetanusque, risus aut fletus involuntarius, oris retractiones risum mentientes, cantilenae & alii miri spasmi adiunguntur (b). Omnibus his porro nunc respiratio anxia, suspiriosa, ventris tensio & insignis tumor, iactatio frequens, sudores ad frontem & pectus

(a) V. GEBHARD diss. §. XXIX., & VOGELS Handbuch l. c. §. 3.

(b) V. SAGAR l. c., & ROEDERERS Geburtshülfe. Iena 1793. §. 400.

glutinosi, viscidique cum extremorum frigore, stupor & animi indifferentia, bilis aeruginosae vomitus, animique deliquia accedunt. Pulsus fiunt frequentissimi, vacillantes, exilissimi & intermittentes, in facie hinc inde maculae rubrae, lividae erumpunt, tandemque horrores saepe validi, gangraenae lethalis indicia, se manifestant, liquores foetidissimi e vagina effluunt, frequens faecum & urinarum in lectum secessus est, & plerumque sub sopore aut lipothymiis mors scenam claudit.

Metritis igitur nervosa decursum suum symptomatum *febris nervosae versatilis* vel *stupidae*, nunc horum, nunc aliorum satellitio, absolvit, imo hinc inde cum symptomatibus aliis nervosis incedit, quae ab iis, quae modo recensui, differunt; sed ea hic enarrare instituti mei ratio vetat, cum illa tantum colligenda putaverim, quorum praesentia, apparatusque tum aliorum, tum mea experientia confirmatus sit.

Invadit vero haec metritidis species prae aliis debilitatas & ex caussa antecedente quacunque exhaustas foeminas, eas item, quae exsangues, macilentae, delicatulae, sensibiliores & irritabiliores, in spasmos proclives & effetae sunt, aut dyspepsia laborant; cachecticae etiam & parce & male pastae, ut & eae, quae habitu laxo, fibraque molli prae-

diae, sedentariae vitae addictae urbiumque incolae sunt, quae mox ab intentione leviori defatigantur & pulsu molli, debili & spastico laborant, vitamque anxiam, moerore, curisque plenam degunt, atque pathematibus deprimentibus a longo tempore vexantur, & omnino tales, quarum tum corporis, tum animi functiones languere incipiunt, huic malo sunt obnoxiae. Ceterum ad metritidem nervosam omnium maxime inclinant puerperae, quarum vires plerumque multis debilitantur caussis. In utero enim adhucdum gerentes saepissime multis laborant appetitus & digestionis vitiis, symptomatibusque gastricis, vomitu & alvinae excretionis vitiis vexantur. Ob affectum & turbatum systema nervosum augetur totius corporis sensibilitas & irritabilitas (a). Ob extensum, sub ultimis graviditatis mensibus, uterum abdominalia viscera comprimuntur & relaxantur, ipsaque sanguinis per vasa abdominis circulatio non parum pessumdatur. Saepius eiusmodi foeminae sinistrum partus eventum pertimescunt, vitam iner-

(a) Aut potius ex potestatum incitantium defectu incitabilitas undique accumulata modicum stimulorum gradum perferre valet. Summa hinc sensibilitas & irritabilitas partium necessario exoritur (*Edit.*).

inertem degunt & abutuntur quandoque, ex perverso more, venaesectionibus cet. In partu foemina subinde vires praepostere ad labores intendit & fere consumit, nimisque cito interdum foetum excludit, unde subitanea partium relaxatio nascitur; praeterea & quandoque sanguinis aut sat magnam iacturam patitur (unde SWIETENIUS puerperam recte vulneratam nominasse mihi videtur (a)); aut placenta vel eius portio, aut sanguinis grumi retinentur, corrumpunt & putrescunt, insimulque aëre impuro aut non renovato saepe circumdatur; spasmis, doloribusque ea partus tempore, & quoque post partum, haud raro valde vexatur, eaque caussae non minus, quam multae aliae vim suam debilitantem in puerperam exserunt. Inde eiusmodi mulieres ad hanc metritidem inprimis pronas esse, apparet, id quod eo quoque confirmatur, quod apud puerperas in gangraenam ea cito mutari solet. Subinde caussae occasionales manifesto debilitantes quaecunque v. c. haemorrhagia insignis, terror, timor, aëris admodum impuri actio cet. hunc morbum proxime praecesse-

(a) VAN SWIETEN Commentar. T. IX. p. 345. Edit. Wirceburgens.

runt. Interdum vero coeli tempestatis iniuriae febribus nervosis progenerandis manifesto favent, aut indoles regnantium morborum nervosa ad hanc metritidis speciem procreandam valet, si vel aegram contagio fuisse expositam expertum habemus, vel morbum symptomatibus talibus ingruisse, quae epidemiae nervosae currenti consueta sunt. Saepius quoque fieri potest, ut metritis, quae ab initio de *inflammatoria* summopere testabatur natura, citissime in *nervosae* indolis metritidem convertatur, cuius eventus caussa vel inflammationis vi & vehementia, aut in venaesectionis neglectu (*a*) quaeri, vel inde repeti debet, quod debilitantia remedia, e. g. sanguinis quantitatem imminuentia auxilia, nimis large & copiose in usum tracta fuerit.

(*a*) Metritidem summe inflammatoriam in nervosam transiisse intelligimus, si symptomata compareant debilitatis, pulsusque debiliores, frequentiores & inordinati evadant, si foeminae diathesin inflammatoriam inhaesisse, morborumque caussas vehementer irritantes praegressas esse, compertum habeamus.

SECTIO II.

DE METRITIDIS CAUSSIS.

§. I.

Generalis caussarum divisio.

Metritidis *caussas* in duas equidem classes dividendas esse iudico, quarum altera 1) *universales*, 2) altera *locales* complectitur.

Universales voco eas, quae totum afficiunt vitale systema, & si qua uteri dispositio adsit, e. g. irritabilitas aucta, hoc viscus inflammant, unde mox inflammatoriae, mox nervosae indolis febris cum locali uteri inflammatione originem ducit.

Locales autem mihi eae sunt, quae magis topice in uterum agunt, eamque inflammant; in hoc casu febris universalis, quae pro varia corporis diathesi diversae indolis fit, magis symptomatica est:

Caussae metritidis *universales* aliarum inflammationum caussis omnino fere similes sunt, & ad duo genera queunt referri; etenim a) aut *irritantes* sunt, b) aut *debilitantes*. Me-

tritidi a cauffis universalibus ortae ubique antecedat neceffe eft corporis *dispofitio*, quae duplex effe poterit, a) vel *inflammatoria* corporis diathefis, b) vel diathefis corporis *nervosa*. Utramque dispofitionem iam supra, cum de febris indole loquerer, accurate descripfi. Atque ex iis, quae proposui, apparet, pro varia praevia diathefi generali, & pro varia cauffae in diathefin actione sub quadam quoque uteri dispofitione progenerari metritidem, quae nunc cum inflammatoria, nunc vero cum nervosa febre incedit.

Cauffae locales, uterum inflammantes, plerumque mechanica ratione operantur, quippe quae, fi eidem proxime applicitae fuerint, dum nimirum sauciando, caedendo, rodendo, scindendo, pungendo, commovendo, percutiendo, aut premendo agunt, visceris huius organisationis laefiones producant (*a*).

§. II.

De cauffis speciatim.

Iam ad cauffas cum locales, tum universales, quas salutaris artis Doctores ad metriti-

(*a*) Nonnulles metritidis casus ex coacta defloratione observavit WEIKARDIUS. Vid. eiusdem *Elementi di Medicina Pratica Tom.* 1. *Fasc.* 1. *pag.* 69. §. *LV.* (*Edit.*).

dem excitandam multum valere observarunt, singulatim recensendas accedo. Atque huc spectant: repentinae menstruorum (*a*) & lochiorum, haemorrhagiarum item, fluoris albi & haemorrhoidum suppressiones, quae post caussas violentas accidunt, si e. g. animi validam commotionem foemina experta, aut terrorem, iram fortiorem cet. passa sit, aut si frigus, cum corpus caleret admodum, praesertim in genitalia, aut aestus, frigente corpore, in easdem partes egerit, vimque suam exercuerit. Abortus vel ex caussis naturalibus promotus, vel pharmacis excitatus itidem inflammationis uteri caussa quandoque est; nec minus huc pertinet potuum & pharmacorum calefacientium, sic dictorum emmenagogorum, pellentium, ecbolicorum (*b*), aristolochicorumque abusus. Erysipelas etiam aut rheumatismus (*c*) ad uterum conversus, metasta-

P 3

(*a*) *A. Fr.* HECKERS Magazin für die patholog. Anatomie und Physiologie 1. Heft. Altona 1796 p 126.

(*b*) *William* SMELLIE a collection of preternatural cases and observations in Midwifery. London 1766. Vol. III. p. 406. Case 2. ubi metritidis a potu *Punsch* ortae exemplum narratur, cuius potus largam copiam quaedam foemina ad partum promovendum sumserat.

(*c*) MENZ differtat. de pathologia rheumatismi in morbis puerperarum. Lips. 1788.

ses ſic dictae lacteae, cauſſae venereae, haemorrhagiae uteri profusae poſt partum maxime inſequentes, vomitus vehementes, enormes, & continui, nimis calida poſt partum diaeta, nimis repetita exploratio, compreſſiones uteri gravidi validae & continuae ante partum, vel poſt eum per fascias, aut pannos convolutos, eosque arcte abdomini circumductos (*a*), vel per thoraculos anguſtiores, vel per alia corpora (*b*); lapsus item gravidae in diſtentum abdomen, percuſſiones violentae, conculcatio, labores ad partum vehementes, fruſtanei, praematuri aut diuturni, partus laborioſi, praeternaturales aut difficiles, maxime sub capite foetus incuneato (*c*) (uterus enim in tali casu inter foetus caput & oſſa pelvis quaſi prelis premitur, laeditur, & contunditur), aut sub uteri obliqua poſitione (qua foetus pars diu contra uterum agit, eumque premit), denique sub aliqua capitis poſitione ex eadem cauſſa, cet. saepe metritidem accen-

(*a*) Monuit iam hoc MAURICEAU l. c. Lib. III. Cap. 11.

(*b*) Exempla uteri a sola compreſſione externa inflammati narrant *W.* SMELLIE l. c. T. III. p. 390., & *D. Fr. Benjamin* OSIANDER Denkwürdigkeiten der Heilkunde und Geburtshülfe. Göttingen 1794. 1. Th. p. 115.

(*c*) CONRADI Handbuch der pathologischen Anatomie. Hannover 1796.

dere possunt. Praeterea contrectationes uteri rudes in partu artificiali, ictus, compressiones vel lacerationes, versionis quoque negotium violentum post ruptas iam diu aquas & contractum circa foetum uterum, vel foetus aut placentae extrahendae infelix, praesente uteri strictura (a), susceptum negotium, rudi manu facta versio, incautus ferramentorum ad foetum extrahendum usus, praeprimis vectis aut forcipis abusus, quibus instrumentis uterus saepe vario modo laeditur, violenta ac praepostera placentae extractio, maxime ubi fixa arctaque ea utero adhaeret, aut praeternaturali loco affixa est, placentae item vel eius portionis retentio, grumi sanguinei relicti, foetus demortui in utero adhucdum haerentes (haec enim corpora residua corrumpunt, putrescunt, & in acrem saniem convertuntur), perinaei praeterea, vaginae, & intestini recti lacerationes (quarum partium inflammatio ad uterum dein propagatur), prolapsus vaginae aut uteri (ob frictionem inter ambulandum), uteri polypi, & mala eorum tractatio, inversio uteri, spasmi ac do-

(a) *D. Ioh. Christ.* STARK dissertat. medica de hernia vaginali & strictura uteri, observatione illustrata. Ienae 1796.

lores diuturni, post partum inprimis subsequentes (qui subinde placentae incarcerationem progignuntur), colica convulsiva atque gravior hysterica affectio, partium vicinarum inflammationes, e. g. peritonaei, vesicae, intestinorum, labiorum pubis externorum ex caussa quacunque ortae &c. efficere possunt, ut ipse uterus inflammetur.

Variae ergo sunt, quae uterum inflammatum reddere queunt, caussae, atque in iis avertendis prophylaxin nostri morbi consistere apparet, qui facilius praecaveri, quam, si praesens sit, sanari potest.

SECTIO III.

POTIORA AD MORBI EXITUM SPECTANTIA MOMENTA.

Iam praemissa brevi de praecipuis metritidis caussis disputatione, ad prognosin transgredior. Cum autem alii auctores accurate super hac re disseruerint, nolo ego longus esse in recensendis iis, quae ad iudicium de morbi exitu ferendum spectant, sed modo breviter strictimque de necessariis maxime, quae huc pertinent, momentis agam, quo, quae ad morbi curationem attinent, clarius intelligantur.

Metritis, ut aliae inflammationes, varios habet exitus. Finitur nempe quandoque.

1. *Resolutione*, cuius signa, quibus hanc diversis diebus nunc citius, nunc tardius, insecutam fuisse certi reddimur, sunt, secundum variorum medicorum observationes fere haecce: lochia, menses, haemorrhoides denuo comparent, vel largus materiae puriformis & male olentis vel sanguinolentae ex vagina effluxus in conspectum prodit, largus item, calidus, diuque continuatus sudor cum urina spissa puriformi animadvertitur. Praeterea in hac vel illa corporis externa parte erysipelas nonnunquam comparet, vel rheumatismus, vel tumor & abscessus extremitatum (*a*) enascuntur. Rarius sub miliaribus & diarrhoea comparentibus, frequentius sub abortu cum haemorrhagia insecuta sanitatem restitutam fuisse, experientia docuit.

2. *Suppurat* etiam interdum locus, qui inflammatione affectus est; & de eiusmodi quidem exitu signis abscessum internorum communibus, iisque satis notis, certi reddimur. Hunc exitum inprimis inflammatoriae indolis metritis agnoscit: pro sede nati abscessus, item pro vario, si ruptus ille fuerit, puris

(*a*) Exemplum tale exhibet KIESLING. l. c. p. 24.

in varios locos effluxu, exitus suppurationis varius est; nunc enim pus vel in abdominis aut uteri cavum, vel in vaginam, vel in vesicam urinariam & intestinum rectum fluit, aut ad partes supra inguen, aut ad umbilicum eructatur. Varii huius exitus exempla, quorum alia lethalia fere aut saltem admodum periculosa, alia autem minus infelicia, experientia teste, fuerunt, apud auctores passim extant, quibus ea, quae proposui, egregie illustrantur atque confirmantur.

3. In *gangraenam* aliquando abit noster morbus, quae lethalis fere ubique est, signisque suis, quae nota satis sunt, facile dignoscitur. Nervosa potissimum metritis in gangraenam saepe desinit (*a*).

4. Denique *induratione* aut *scirrho* finitur metritis, qui tamen exitus perrarus est. Uteri enim indurationes magis a caussis lente occulteque agentibus & tardigradis originem habent, quam ex morbo uteri acuto.

SECTIO IV.

DE METRITIDI MEDENDI METHODO.

Indicationes in metritide tractanda generales in eo potissimum versantur, ut ad morbi

(*a*) Cf. *Ioann. Petr.* FRANK l. c. §. 130.

caussas, ad aegrotantis statum, maxime vero ad febris, quae metritidem comitatur, naturam respiciamus.

§. I.

De removendis caussis localibus.

Prima indicatio, quae in metritide, sive inflammatoriae, sive nervosae ea indolis sit, adimplenda est, in eo cernitur, ut, si quando actio localis caussae in uterum restitet, ante omnia nihil non tentatum relinquamus, quo ea tolli & removeri possit (a). Inter istas autem locales caussas, a quibus uteri inflammatio pendet, corpora in utero residua & retenta aliena pertinent, ad quae expedienda & extrahenda plerumque ipsa manus obstetricantis versata & exercitata requiritur, ne qua violentia inflammato inferatur utero. Ubi igitur placenta integra vel eius aliqua portio aut foetus demortuus, aut sanguinis grumi in utero retinentur, cauta manu

---

(a) MAURICEAU l. c. cap. 11. L. III. & RODERERS Geburtshülfe §. 400., it. *Ioh. Petr.* FRANK discursus academicus de Haemorrhagia uteri ex spasmo secundinas incarcerante. Recus. in opusculis medici argumenti antehac seorsim edit. nunc collect. Lips. 1790. p. 245.

haec corpora eliminanda sunt, si quidem id per osculum uteri satis apertum fieri queat; ubi vero ob os uteri clausum & contractum tales materiae extrahi non possunt, haudquaquam vis adhibenda est, sed emollientes & involventes decoctiones in vaginam, uterumque caute sunt iniiciendae, ut, quicquid materiae, loci calore facile corruptae, utero insit, corrigatur, sensimque quasi eluatur. Abdomini praeterea cataplasmata, unguenta item emollientia applicanda, remediaque, quae spasmum solvant, nec naturae febris adversentur, in auxilium vocanda sunt. Reliqua, quae hic in usum trahi debent, praesidia non addo, cum de iis, eorumque recta, caussisque accommodata administratione varii obstetriciae artis magistri praeclare exposuerunt, ad quos equidem lectores amandandos censeo. Itaque statim ad ea, quae febri tractandae conveniunt, me accingo.

§. II.

De iis, quae ad febrem, cum qua coniuncta est, recte tractandam pertinent.

Considerandа mihi nunc est ea indicatio, quae in febris cum locali uteri inflammatione coniunctae indole, quam diversam esse posse

dixi, rite tractanda versatur. Inde quippe magna methodi medendi diversitas enascitur. Cum enim *inflammatoriae* nunc, nunc *nervosae* haec febris sit indolis, methodus medendi vel *debilitans* s. antiphlogistica, vel *irritans* & corroborans esse debet. Quae cum ita sint, operae me pretium facturum arbitror, si medendi methodum, quam quaevis febris indoles desiderat, uberius & accuratius exponam.

A. De metritidis inflammatoriae curatione.

Quodsi ex caussis (Sect. I. §. VII. allatis) cognoverimus, febrem, quae cum nostro morbo coniuncta est, inflammatoriae indolis esse, summum certe, si recte mederi velimus, artis auxilium in debilitante, quae dicitur, methodo positum est, a qua deflectere plane non debemus. Proinde primum, summum ac saluberrimum remedium in *sanguinis detractione* larga manu & ex amplo vulnere instituta cernitur. Quod autem ad venaesectionum attinet numerum & ad sanguinis eliciendi quantitatem, vix universalis regula statui potest, sed hic, si unquam, in puerperali maxime metritide, huius sanitatis restituendae praesidii modum & finem quendam teneri iubeo; neque enim vitalis laticis profusam copiam disperdere, neque nimis parce in eo e

vena mittendo versari fas est, praesertim cum simul aliis, infra adducendis, remediis debilitantibus, quae in usum vocata fuerunt, multum tribuendum esse censeam. Regulae circa venaesectionum numerum & cruoris detrahendi copiam generales hic optime circumspectum ducent medicum. Febris igitur, caussaeque irritantis vehementiae, constitutionis, & dispositionis, quae obtinet, item vitae generis, aetatis, morbi durationis & temporis, quo facta est prima venaesectio, ratio debet haberi; denique etiam accurate respiciamus ad cruoris emissi effectus necesse est; namque hi optimi medentis quasi ductores erunt. Et laetissimus quidem detracti sanguinis effectus est, ubi iam post primam venaesectionem symptomata omnia imminui, aut prorsus cessare videmus. Sub felici eiusmodi rerum statu non amplius opus est, ut nova vena aperiatur, sed modo aliorum debilitantium remediorum, quae infra recensebo, usus continuari debet. Interea fieri sane potest, ut singula inflammationis symptomata intensiori vi recrudescant; in quo casu iterata & pluries repetita venaesectione, eo tamen, quo par est, moderamine, instituta uti conveniet, qua morbi vehementia egregie frangi queat. Neque vero pluribus debilitatis signis forte in conspectum prodeuntibus nos patiamur seduci, utpote quae, cum forte spu-

ria tantum & apparens sit, tanti non debeat aestimari, ut a nostra methodo recedamus & aliam, quae illi opposita sit, amplectamur. Ubique universum quasi morbum cum suis symptomatibus & partibus ante oculos habeamus necesse est, si, quid agendum sit, determinare recte velimus. Quodsi vero infelicior eventus venaesectionis docet, symptomata mox offerri verae debilitatis, omnia in deterius ruere, morbum ingravescere, viresque labi, tum mox, omni debilitante medendi methodo relicta, ad alia remedia confugiendum est. Ceterum venaesectio in ea maxime metritide indicatur, quae magis a caussis universalibus, quam localibus, ortum ducit; namque in ea, quae a locali vitio pendet, raro febris inflammatoria intense urget, quae symptomatica modo sit, cui arcendae utplurimum alia leviora remedia debilitantia, strenue adhibita, plane sufficiant. In sanguine fundendo audacior esse poterit medicus in non gravidis, quam in puerperis, quas magis ad nervosam metritidem, quam ad inflammatoriam, inclinare supra demonstravi. Proinde hic in sanguine mittendo, omninoque in methodo debilitante caute versari debemus, ne noxam inferamus aegro corpori, utplurimum hic irreparabilem (*a*). Notari tamen meretur, non

(*a*) Puerperae, a multis, quas supra enumeravi,

reformidandam esse venaesectionem in puerpera, cui diathesis inflammatoria inhaeret, si quidem

---

caussis, debilitatae, raro inflammationi, quae cum febre revera inflammatoria coniuncta sit, subeunda idonea esse videntur; maxime vero proclives ad oppositae indolis inflammationes deprehenduntur, quae nequaquam venaesectionibus tolli possunt. Hinc BOERHAAVIUS (aphorism. §. 1332.) *venaesectionem haud facile, nec nisi summa urgente necessitate, in puerperis adhiberi* iussisse mihi quidem recte videtur. Eas vero nonnunquam quoque inflammationibus expositas esse, quae febre revera circumdantur inflammatoria, & quae feliciter sanguinis detractione franguntur, hoc equidem nullatenus in dubium vocandum esse iudico. *Fr.* HOFFMANNUS (Tom. II. Edit. Genevens. p. 156. seqq.), & VAN SWIETEN (in commentar. T. IX. Edit. Wirceburgens. p. 391. seqq.) exemplis demonstrant, venaesectionem in puerperarum inflammatoriis affectibus non ubique esse repudiandam, in ea tamen administranda caute versandum, neque in excessu peccandum, praeceperunt. Metritidem ipsam saepius indolem inflammatoriam agnoscere; eiusdem HOFFMANNI experientia (l. c.) confirmatum habemus. Metritis inflammatoria, quam egomet observavi, venaesectione semel repetita feliciter dissipata fuit. Hinc celeberr. MOSCATIO non possum adsentiri, qui omnes omnino puerperarum morbos a debilitate derivandos & semper methodo irritante tractandos esse contendit. V. eius Praefatio ad *Ioann.* BRUNONIS Elementa Medicinae. Mediolani 1792. Ceterum cf. ad h. l. *Ioann. Petr.* FRANK Oratio de venaesectionis apud puerperas abusu; in *Eiusdem* opuscul. medici argumenti. Lips. 1790. *Carol. Christ.* SCHNORR dissert. de venaesectione in puerperis. Lips. 1768. §. VI., & *Martin. Gottl.* HALPITII diss. de febre lochiali. Lips. 1753. §. XVI.

quidem partus aut graviditatis historia, caussae item morbi, eiusque symptomata doceant, metritidem revera inflammatoriae esse indolis. Neque menstruorum aut lochiorum in metritide continuatus fluxus venaesectionem interdicit; attamen hic iam cautius & moderatius hoc restituendae sanitatis auxilio utendum est, cum iam debilitans auxilium quasi naturale hoc in casu adsit. Ex hac ipsa etiam caussa cum eadem cautione tundenda vena est, si diarrhoea in metritide inflammatoria compareret; eiusmodi enim fluxus, quo pultaceae & ex albo flavae faeces excernuntur, si moderatus est & cum levamine morbi notabili fit, non ubique pertimescendus est (a). *Fr.* HOFFMANNUS, aliique clarissimi medici venaesectionem in puerperis adeo non timuerunt tum cum purpura ad cutem effloresceret (b).

(a) Diarrhoeam in puerperis interdum adeo lochiorum defectum supplevisse, annotarunt auctores; BAGLIVIUS (Praxis medica. Lib. I. append. de Dysenteria), & *Anton.* de HAEN (in Thesibus patholog. de haemorrhoid. Vindobon. 1759.) diarrhoeam aliquoties lochiorum loco observarunt. Diarrhoea ergo in metritide inflammatoria, inprimis a lochiis retentis, nata puerperis salutaris habenda est.

(b) V. *Fr.* HOFFMANNUS l. c. p. 160. §. IV., & ERNDTEL Warsavia physice illustrata. Dresdae 1730. 4. p. 246.

Post venaesectionem generalem ad inflammationem infringendam egregie conducunt *topicae sanguinis evacuationes*, nisi iam fluxus e vagina sanguineus praesto sit. Proinde mox sanguisugae aut cucurbitulae perinaeo, genitalium labris internis, laterique crurum interno applicandae sunt, quae remedia optimum inprimis usum praestant, ubi metritis a mensibus aut lochiis suppressis orta fuerit. Sanguinis detractione peracta, alia auxilia in usum vocare conveniet, quibus id saepe efficitur, ut laticis pretiosi sanguinei iacturae supersedere possimus. Primo inflammationis impetu profligato instituatur, quae inter potiora praesidia pertinet, *modica alvi purgatio*. Hinc mox praescribendum est remedium laxans antiphlogisticum, quod leniter absque stimulo alvum aliquoties pro re nata solvendi virtute gaudeat. Magna enim vis debilitans huius generis remediis in omnibus debetur morbis inflammatoriis. Si vero iam adest diarrhoea, ab eorum usu abstineamus, oportet. In puerperis potissimum caute cum catharticis vel lenissimis mercandum est, quae ob facile excedentem in eiusmodi foeminis sensibilitatem, earumque ad diarrhoeam propensitatem interdum inducant hypercatharsin, unde fieri queat, ut vires mox exhauriantur & morbus nervosam assumat indolem. Si vero absunt vomitus & diar-

rhoea, aegraque magis alvo adstricta laborat, cum fructu adhiberi possunt potus ex lactis sero cum cremore tartari parato, parvae item doses salis polychresti, Seignette, aut salis mirabilis Glauberi. Nitri usum in morbis phlogisticis probare equidem haud possum; irritat enim hoc sal manifesto, atque plus damni, quam utilitatis, aegris utplurimum affert, quare ab eius usu lubentius abstineo.

Praeter haec auxilia requiritur, ut aegra multum bibat, potuque semper frigido utatur. Simplicissimum potus genus *aqua frigida* est, quae egregie totius systematis auctam vim imminuit. Possunt tamen alii quoque magis compositi potus, v. c. decoctum hordei, radicis graminis aut althaeae cet. adhiberi, qui itidem frigide sumendi sunt. Si fractus inflammationis impetus sit, egregie etiam conducit remediorum *diapnoicorum* usus, praesertim si sudor immineat, aut cutis iam madeat; in eiusmodi casu ad transpirationem leniter promovendam prosunt infusa tepida ex floribus sambuci parata, nec non tartarus emeticus in parva dosi porrectus, aut ammoniaca acetata. Interim tamen bene caveas, ne haec leniter irritantia medicamenta praepostere, morbo adhucdum vigente, adhibeas, quibus augeri facile malum possit. In universum sedulo fugienda sunt remedia stimulantia, quae nonnisi dissipata

diathesi phlogistica, vel morbo in nervosum statum declinante, prodesse queunt. Ceterum diaeta tenuissima, liquida atque vegetabilis sit, & atmosphaera cubiculi frigidiuscula; stragulis tenuibus obtegatur aegra, omneque id ab ea sedulo arceatur, quo animus, & corpus eius turbetur & irritetur. Remedia externa, quae in usum vocentur, sint *unguenta oleosa & emollientia*, quae abdomini & perinaeo inungere conveniet, item *fomentationes* ex lacte tepido, phlogosi profligata, imo ventri applicari possunt; *clysteribus* etiam, praesertim sub alvo adstricta, oleosis & mucilaginosis iisque parva quantitate ano immissis aegra saluti egregie prospicietur; iniectiones autem in uterum improbandae sunt, quae manifesto noceant, quod non nisi cum quodam impetu deferri in inflammatum uterum possint. Ubi vero magis vagina laborat, & corruptarum materiarum plena est, lac tepidum aut mucilagineum decoctum parva copia iniicere licet. Vesicantium, aliorumque irritantium remediorum externorum applicatio ob vim irritantem, quam in totum vitale systema ea exserunt, haud est concedenda (*a*).

(*a*) Cf. *Thomas* WITHERS Bemerkungen über die Fehler bei dem Gebrauch der Arzneimittel; aus dem Engl. Leipzig 1776. p. 202.

Ceterum de symptomatum curatione nihil addendum esse censeo, quippe quae, cum morbi effectus sint, generaliori etiam cedant regimini. Quare statim ad alteram metritidis speciem me converto.

B. De Metritidis nervosae curatione.

Nervosae, ab inflammatoria plane diversae, metritidis curandae regulae, in eo omnino cernuntur, ut vires vitae admodum labefactatas erigamus, neque ullo modo eas in hoc rapido, facileque exitiali morbo debilitari patiamur. Et huic quidem indicationi, quam haec labes cum omnibus febribus nervosis communem habet, satisfacimus methodo irritante seu corroborante. Medicamenta igitur omnis generis pro re nata plus minusve irritantia seu corroborantia huic inflammationi opponenda sunt, quorum praecipua, quae experientia confirmata sunt, hic breviter recensebo.

Quaestio primum oritur, an venaesectioni in nervosa inflammatione locus sit? Cum autem iam supra demonstraverim, in hoc morbo summam debilitatem adesse, facile perspicitur, venaesectionem hic nunquam indicari; experientia enim satis superque docuit, in hac inflammatione a phlebotomia instituta aegrotanti insigne ac saepe irreparabile allatum

fuisse damnum; & profecto, si in eiusmodi casu venam secare velles; debilitatem nova debilitate augeres (a). Ubi vero diagnosis hic plane ambigua, incertaque manet, id quod haud raro accidit, non vituperarem equidem circumspectum medicum, si in dubio hoc casu, veluti experimenti faciendi ergo, cum moderamine instituat phlebotomiam, quo, dum illius effectus sedulo contempletur, de morbi vera natura certior fiat, ut recta in morbo tractando incedere possit via. Periude enim periculosa, flebilisque aegrotae sors est, si medicus, in metritide revera inflammatoria, nervosae vero indolem ludente, illius fallaci imagine seductus, aegrotam nunc, omni neglecta antiphlogistica cura, methodo irritante in gravissima vitae coniiciat discrimina, ac si in vere nervosa uteri inflammatione utatur remediis, quibus sanguinis, humorumque copia diminuatur. Si autem de morbi indole vere nervosa certi fuerimus redditi, omnibus, quibus aegrota debilitari possit, v. c. purgantibus, aliisque antiphlogisticis pharmacis prorsus omissis, medicamenta, quae vires depres-

(a) *Fr.* HOFFMANNUS (l. c. observ. IX.), SYDENHAMIUS (differt. epistolar. in opuscul. universis, Lips. 1711. p. 535.), & LEVRETUS (*l'art des accouchements*, p. 167.) a temere institutis aut nimiis venaesectionibus plures puerperas periisse viderunt.

sas excitent, adhibeamus necesse est, iisque tam diu utamur, donec aegrae sanitas restituta observetur.

Inter medicamenta, quae alias cum summo fructu nervosae opponuntur inflammationi, primus locus *radici polygalae senegae* assignatur; sed hanc ego medicinam hic non valde laudare possum, quae interdum vomitum aut diarrhoeam cieat, atque sic ea, quae in metritide plerumque adsunt, symptomata facile augeat & aegrotis, sensilibus maxime puerperis, periculum pariat. Si vero haec symptomata cum metritide non coniuncta sunt, cum fructu decoctum senegae, cum decocto corticis peruviani & liquore anodyno minerali HOFFMANNI mixtum propinari potest. Aliud remedium, quod in hoc casu mox est adhibendum *cortex peruvianus* (*a*) sistit, qui tamen ob ventriculi imbecillitatem, quae in hoc morbo praevalet, non in substantia, sed sub forma decocti, vel infusi praescribi debet, cui superaddendum est remedium excitans, e. g. liquor anodynus, aqua menthae piperitae, decoctum serpentariae virginianae cet.

(*a*) V. WITHERS l. c. p. 346., & MOSCATII Praefatio ad BRUNONIS Elementa Medicinae.

quo magis vires suas in nervos volatiliores exserat. Summa quoque *opio* hic laus debetur, quod sua virtute eximie irritante, qua totum fere systema vitale mox commovetur, saepe labentes vires erigere & refocillare valuit. Praesertim huic remedio locus est, ubi in metritide alvus diarrhodes, hic fere semper funesta (*a*), aut vomitus, aut alia symptomata nervosa urgent. Aliud in qualibet inflammatione nervosa pharmacum, a multis cum egregio successu adhibitum, est *mercurius*; hoc enim metallum insigni pollere vi irritante, nemo est, qui ambigat; inde cum summo fructu nervoso huic statui opponi potest. Etenim saluberrimus est effectus, quem in hepatitide orientali, quae nervosae naturae mihi esse videtur, producit, & ex analogia recentiores Medici collegerunt, hoc metallum cum fructu & in aliis inflammationibus localibus adhiberi posse; neque infelix fuit tentaminum, quae cum eo instituerunt, exitus, quibus illud morbis his tollendis itidem aptum esse constitit. Sed perperam & indiscriminatim

---

(*a*) Diarrhoea in metritide puerperali inflammatoria salutaris habenda est, in nervosa vero metritide fere ubique noxia ac funesta est. Inde distinxit LEVRETUS (*l'art des accouchements*, p. 162.) puerperarum diarrhoeam in *criticam* & *symptomaticam*.

quidam medentes in ſtatu inflammatorio quolibet, nulla habita inflammationis naturae ratione, praescribunt hanc medicinam. Mercurius quippe valde irritans & corroborans, pharmacum in incendio, quod cum febre inflammatoria incedit, summo cum vitae discrimine aegrotanti propinabitur, in inflammatione vero nervosa semper cum fructu adhiberi poterit. Ex multis hydrargyri praeparatis mercurius dulcis utiliſſimus in hoc morbi genere eſt repertus. Et optime exhiberi poteſt in parva doſi (ne noxiam hic diarrhoeam, aut ptyalismum progignat), pro re nata a grano uno ad alterum; ſimulque ipſi opii aut camphorae aliquid admiscetur. Methodus Medicorum Indiae Orientalis, qui semper ad salivationem usque mercurium adhiberi iubent, in eo, de quo loquor, casu non neceſſaria videtur. In peritonitide nervosa puerperali cum inſigni fructu praescriptum hoc metallum fuiſſe a quibusdam Medicis, ipse teſtis fui. *Moschus* in metritide nervosa itidem egregium eſt remedium, quod senſibiliſſimis puerperis, maxime cum pulsus durus & contractus ſit & affectibus multis spaſticis & deliriis aegra vexetur, egregie conducit; idem etiam de *camphora* valet, quae in nervosa metritide cum emolumento propinari poteſt. Conducit ea maxime aegrotis laxo corporis habitu praeditis, quales ple-

rumque sunt puerperae, non item rigidis, siccis; potissimum vero apta ea est, ubi cutis humida, pulsus mollior, exilis & frequentissimus animadvertitur, & deliria multa atque symptomata spastica accedant. Praeter enumerata pharmaca, quae irritante virtute se inprimis commendant, & in nervosa inflammatione qualibet a Medicis cum emolumento praescribi solent, adhiberi etiam possunt *radices serpentariae virginianae* & *arnicae* (haec praesertim sub urgente diarrhoea), *valerianae* item *sylvestris* & *angelicae* radices, aliaque eius indolis medicamina, quae sub forma infusi seu decocti aegris commode propinantur; in substantia enim data ventriculo debili facile molestias creant, & cum non digerantur, nullius fere usus sunt. Quod ad *vinum generosum* attinet, admodum efficax illud in eiusmodi malis inventum esse constat, quare hic ei princeps veluti locus assignandus videtur. Extollunt Medici hoc potus genus magnis laudibus in inflammatione nervosa, & experientia sane docuit, illud sanitati in integrum restituendae admodum aptum esse. Pro diversa autem morbi conditione diversa in copia vinum propinari potest, modicus tamen eiusdem usus semper optimus erit. Ceterum cum aqua mixtum & saccharo vel syrupo quodam edulcoratum pro potu ordinario potest usurpari. Interim,

si vino utaris, necesse est, ut ad eius effectus sedulo attendas; ubi enim deliria non tollit, sed auget, pulsum frequentiorem reddit, & ubi aegra vultus ferociam testatur, abstinendum ab eo est, cum experientia docuerit, illud in eiusmodi casu raro conducere.

Cum horum remediorum irritantium, quae intus sumuntur, usu simul externorum medicaminum administratio coniungenda est. Applicentur itaque toti abdominis regioni, & perinaeo *unguenta volatilia*, e. g. linimentum ex oleo lini, camphora & ammoniaca cum opio mixtum, *cataplasmata calida* ex semine lini, herba hyosciami, aut cicutae & floribus chamomillae, & opio confecta; *fomentationes* item ex aceto vini calido cum laudano liquido SYDENHAMI, aut ex vino aromatico vel vinoso chinae decocto composita. Praeterea *pediluvia* & *semicupia calida* adhibeantur, & in vaginam caute & parca manu iniiciatur aqua, vel lac tepidum. *Enemata* etiam ex chamomillae decocto, & opio parata cum summo aegrae emolumento in usum trahi possunt; pariter insignis est *vesicatoriorum* & *sinapismorum* abdomini impositorum usus, quae medicamina rubefaciendi, non item vesicas excitandi ergo, adhibenda sunt.

Quod denique ad diaetam attinet, haec semper viribus aegrae, morbique statui res-

pondeat oportet, eaque nunc magis, nunc minus nutriens, corroborans ac restaurans sit. Ob ventriculi debilitatem omnia nutrientia liquida forma exhibere conveniet. Praescribantur ergo iuscula carnea, decoctum radicis saleb cum vino mixtum, aliaque huius generis nutrientia. Aegra aëre sano, puro, eoque saepius renovato fruatur, hilari animo sit, neque animi pathematibus deprimentibus debilitetur, omniaque consulto ab ea removeantur, quibus ullo modo vires frangi possint.

In curanda nervosa metritide ubique initium a pharmacis, quae fugaci agendi modo gaudent, h. e. a sic dictis analepticis & nervinis faciendum est. Hinc pro re nata aut serpentaria virginiana, aut quicquam valerianae, aut senegae radicis, aut camphorae, moschi, aliorumque excitantium dari potest. Cum autem horum medicamentorum actio brevis & quasi volatilis sit, brevibus illa temporis intervallis porrigere conveniet. Atque excitatis eorum efficacia corporis, ventriculique viribus, morboque in meliorem statum redacto, mox adhibenda sunt remedia, quae agendi modo fixiori & firmiori pollent; proinde corroborantia fixa, e. g. cortex peruvianus (qui vero ab initio quoque egregio cum successu remedio aromatico seu volatili iunctus adhibetur), cortex angusturae, extracta ama-

ra & alia praescribenda esse patet. Concedendus etiam est nunc victus solidior, isque magis nutriens. Quod ad medicaminum denique propinandorum copiam attinet, is fere tenendus modus est, ut in metritide nervosa, quae ex summe inflammatorio uteri morbo orta sit, aut noxas vehementer irritantes, vitaeque vim exhaurientes pro caussa agnoscat, statim a largis medicamentorum dosibus initium faciamus, quas tamen sensim sensimque imminuere fas est; si vero metritis originem traxerit a caussis debilitantibus, a stimulorum detractione & defectu, e. g. ab haemorrhagia &c. corpus sensilissimum plerumque est, neque largas fert pharmacorum doses, quare in eiusmodi casu a parvis medicaminum portionibus ad maiores transire conveniet. Ubi denique vomitus & hic semper funesta diarrhoea urget, medicamenta cum mucilaginosis substantiis, & mixtura RIVERII coniungere, insimulque praecordia unguentis, oleis, aliisque pharmacis excitantibus illinire & fovere e re erit; quae praesidia, etsi morbo penitus tollendo non sufficiant, tamen variis symptomatibus leniendis admodum apta atque idonea sunt.

OPUSCULUM V.

DE

Morbo Yaws dicto, & de Vena Medinensi

SPECIMEN

Anno MDCCXCVII. Halae editum

A

FRID. GUILIELM. KUNSEMULLER

M. D. DETMOLDIA-GUESTPHALO,
ET PRATICO SURINAMENSI.

SECTIO I.

DE MORBO YAWS DICTO OBSERVATIONES.

§. I.

Quum cuivis fere regioni sui sint morbi, sua quoque remedia, quibus illi sanantur, observantur etiam varii morbi nostro aevo in iis regionibus, quas veteres non cognoscebant. Hinc scorbutus, adfectus septentrionalibus & maritimis terris familiaris, lepra Norwegi-

ca, aliaque id genus mala Graecis & Arabibus Medicis penitus incognita fuerunt. Si qui itaque exstant in America & Africa meridionali morbi endemii, eos in veterum monimentis reperiri non posse, statim constat.

§. II.

Quod morbum praesertim attinet, quem hic describere, atque observationes de eo nostras proferre constituimus, definitionem nominalem prius dare libet, quam ad ulteriorem eius disquisitionem transgrediamur. Est enim morbus contagiosus, designatus pustulis & ulceribus pulte lardacea repletis, quae in collo & larynge praeprimis, tum vero etiam ad alias superficiei partes erumpunt, infantes maxime infestant, atque nonnunquam sponte sua in sanitatem abeunt.

§. III.

Occurrit hic morbus in Africae variis regionibus, in Guinea (*a*), Maroccano imperio (*b*), in interiore Aethiopia (*c*), tum in

(*a*) ISERT'S Reise nach Guinea, S. 242.
(*b*) LEMPRIERE'S Reise nach Marokos, S. 18.
(*c*) BRUCE'S travels to the sources of the Nile, Vol. III. p. 36.

India Orientali, Amboina & Moluccanis insulis (*a*), in India denique Occidentali, praesertim in Surinamensi colonia, insulis Antillensibus (*b*) & in Panamensi isthmo. Notari tamen debet, quo longius distat regio quaedam ab aequatore, eo rarius occurrere hunc morbum, ut itaque in Pensylvania & America Septentrionali fere nunquam observetur, licet Aethiopes servi eo apportentur ex Africa. In quanam vero regione origo huius morbi sit quaerenda, ambigendum adhuc, quamvis Africa, tot malorum fons, etiam hunc morbum generasse videatur.

§. IV.

Cum veteres varias regiones earum, in quibus hodienum morbus occurrit, cognoverint, efficere inde possumus, non penitus ipsos latuisse eum, licet certa eius rei testimonia ante Arabos haudquaquam extent. Primus fere, qui eiusdem meminisse videtur, est Persa ALY, *Abbatis* filius, Bagdadensis principis *Addad-oddaulah* archiater († 994.), in opere

(*a*) BONTIUS de medic. Indor. c. 19. f. 43. *a.*

(*b*) M. GRUDAN dans les observ. sur la physique par ROZIER, Vol. 1. p. 37.

re suo regio, quod principi huic dicavit, describit ulcus cacoëthes, *Sa' fath* dictum, pure crasso, glutinoso refertum, contagiosum, quod in collo & facie frequenter conspicitur, variolis simile sit, nisi febris expers. In Aethiopia & India perquam frequenter grassari, atque in plantis pedum producere ulcere saniosa. Oriri quoque in hoc morbo *Dahesah*, seu abscessum pulsantem, dolentem ad ungues. Vox *Dahesah* signat similitudinem ulcerum cum terra rubra aut brunea: atque elucebit ex sequenti descriptione, satis apprime quadrare cum nostro morbo *Sa' fath* ALY (*a*).

Post eum AL-HUSSAIN EBN SINA, qui vulgo AVICENNA dicitur, sub nomine SA' FATH adfectus varios describit, qui omnino nostri morbi similes esse videntur. Esse enim congeriem *Bothor*, aut variolosarum pustularum, quae cum doloribus ossium iungatur, neque febrem validam incitet. Cum pustulae valde humidae sint, appellat eas *Schir-Benadsch*, quae vox *radicem pinguem* perfice notat, efficit itaque basin ulcerum lardaceam. Magnam pustulam vocat *Bolachith*, ob emi-

(*a*) ALY ABB. theor. lib. VIII. c. 18. f. 57. c. (ed. Venet. fol. 1492.). Cf. SPRENGELS Beyträge zur Gesch. der Medic. St. III. S. 92.

nentem eruptionem, s. ob patriam *Balch*, quae cum nostris *Mama-Yaws* forsan eumdem constituit adfectum. Aliud morbi phaenomenon vocat *Botamin*, ob similitudinem fructus *Chadarae arboreae* FORSKAL, quem Botom Arabes vocant. Sunt autem Botamin ulcera callosa plantarum pedis, cum sarcomatibus & varicibus venarum iuncta, quae *Crabbe-Yaws* nostra referunt. Describit quoque AVICENNA transitum *Sa' fath* in *Kuba*, seu lepram herpeticam & squamosam, qualem nos iam reperimus (*a*).

§. V.

Latinobarbari & iuniores Arabum adseclae hunc morbum *Sa' fath* ex monimentis principum medicorum tantum cognovisse, neque ex ipsa experientia videntur. Etenim cum achoribus veterum confundunt, atque, cum postea seculo decimo quinto lues venerea primum appareret, sub nomine hoc *Sa' fath* eam descripserunt, testibus *Ioanne* WIDMANNO (*b*), *Natale* MONTESAURO (*c*),

(*a*) AVICENN. canon. lib. IV. fen. 7. tr. 3. c. 1. p. 164.

(*b*) HENSLERI excerpt. ad calc. Gesch. der Lusts. S. 22.

(*c*) LUISIN. aphrodis. p. 116. 117.

Simone PISTORIO (*a*), *Iuliano* TANO (*b*), aliisque.

§. VI.

Nuperi Scriptores, SAUVAGESIO praeeunte, commutarunt perperam hunc morbum cum alio in Africa endemio, *Pians* dicto, utrumque *Framboesiam* nominantes, a *Framboise*, fragum, cum quo fructu ulcera qui in Pianensi malo occurrunt, tantum similitudinem habent. Primus, qui eo nomine peccavit, fuit HUMIUS (*c*), post eum HILLARIUS (*d*), RODSCHIEDUS (*e*), aliique. Nihil tamen eiusmodi, quod mereri nomen Framboesia possit, in nostro morbo exstat: namque fragiformes excrescentiae in pianensi malo potius observantur. Et virus yawense a pianensi longe differre videtur.

(*a*) GRUNER aphrodis. p. 77.
(*b*) GRUNER scriptor. de morb. gallic. p. 28. s.
(*c*) Medic. Versuche u. Bemerk. einer Gensellsch. in Edinb. B. VI. S. 170.
(*d*) Von den Krankh. auf Barbados, S. 403.
(*e*) Bemerk. über die Krankh. in Rio Essequebo, S. 227.

§. VII.

Decursus morbi.

Diuturnus eſt morbus, qui plerumque adnunciatur variis prodromis contagium excipientibus. In infantibus satis familiaris, neque adeo frequens in adultis observatur, qui quoque adhuc moram multo diuturniorem huius morbi patiuntur.

Poſt contagium itaque primum apparet phaenomenon febris, ea quidem nón peculiaris, sed plerumque gaſtrica, aut hectica, cum doloribus oſſium nocturnis, atrociſſimis, quibus somnus turbatur, & terrifica insomnia producuntur, iuncta. Appetitus labascit, saepius quoque aegri nauseosa appetunt & absona, velut cretam, carbones, terram, quod ſimul etiam tanquam sequela melancholici ſtatus conſiderari poteſt; ſiquidem in hoc morbo animi infractio & desponſio semper fere adsunt, ut mortem ſibi ipſi consciscere saepius cupiant Aethiopes miseri. Ubique fere cum praevia hac febre laſſitudo corporis insueta atque fractorum fere membrorum sensus adeſt, cum pulsu tardo, debili & inaequali. Dolores vero oſteocopi ita familiares sunt, ut nullum fere aliud symptoma adeo commune eſſe so-

leat. Quo lentior est haec febris, quo manifestiores facit interdiu remissiones, quo magis contra acerbi dolores nocturni aegrum excruciant, eo tardior continget atque magis impedita eruptio. Nonnunquam etiam in hocce praevio stadio accedit cachexia corpus emacians, quae nonnunquam & alia adfert symptomata, si vires non sufficiunt ad perficiendam eruptionem.

§. VIII.

Eruptio ipsa ita contingit, ut facies intumescat, ut oculi rubeant & calor aridus in toto oris ambitu sentiatur. Primae pustulae in laryngis regione & circa collum apparent, deinde etiam in genitalibus & per totum corporis truncum. Pustulae sunt coniformes, basi lata, apice albo, ambitu cinereo & furfuraceo; ubique vero non dolentes, sed vere anodynae, refertae pure tenui, glutinoso, albido, ut variolis nostris omnino similes esse videantur, a quibus tamen essentia vere differunt. Pili, si qui circumdant pustulas, albidum colorem adsumunt. Rodit interea pus tenax eas partes, quae pustulis vicinae sunt: atque ipsa inde ossa exeduntur; & haemorrhagiae tetrae inde prorumpunt; quin aures quandoque, nasus, labia, oculi terrifico modo

inde corrumpantur atque deformentur. Interim eruptio lentiſſimo modo perficitur, ita ut plures menses, imo anni in eadem consumantur. Deficcatis enim puſtulis in altera, erumpunt novae in altera parte. Quo quis frequentius gaudet aëre libero & corporis motibus, eo citius erumpunt puſtulae, eo celerius etiam perficiuntur.

§. IX.

Eruptione perfecta & affluxu puris cessante, sequitur deficcatio, absque foveis, quae nunquam fere relinquuntur. Perfecta autem eruptione ſilere solent symptomata praegreſſa, ſilet febris, reſtituitur appetitus, redintegrantur vires, maxime in infantili corpore, ubi multo lenior eſt morbus, multoque citius in sanitatem tranſit. Quod reſtat symptomata poſt eruptionem perfectam, dolores sunt oſſium nocturni, qui diva saevitie torquere solent aegrotos. Vera caries & exoſtoses pertinaciſſimae in aridis & macilentis hominibus accedunt & veram cachexiam cum hectica febre iunctam producunt. Nonnunquam etiam hygrophobia cum convulſivis variis insultibus, hydrops, icterus, phthiſici adfectus, paralyſis denique comitantur hunc morbum, quum inveteratam adeptus eſt faciem. Quo levius fuit

initium morbi, quo mitior praesertim febris praevia, eo magis timendus hic eventus.

Non raro etiam transitus in lepram squamosam observatus est.

§. X.

Adfectus posthumus morbi huius, dum etiam penitus curatus esse videtur, est *Mater-Yaws*, seu *Mama-Yaws*. Absque ullo adfectu praevio, absque doloribus, salva itaque sanitate, erumpunt ulcera lardacea, grandiora, in superficie corporis passim apparentia. Sequuntur autem ubique praegressum morbum ipsum, neque unquam ipsum antecedunt, sicut RODSCHIEDUS inconsideranter opinatur (*a*). Cum peni aut scroto aut articulis insident, molestias omnino parere possunt, ob laesas partium harum functiones. Hinc etiam in articulis ancylosis inde & incurvatio membri sequi potest.

Videntur vero haec ulcera praeternaturale constituere organum depuratorium, cuius ope quidquid veneni yawensis restat, eliminatur. Dum enim rite tractantur haec ulcera,

(*a*) L. c. p. 237.

aegerque motu corporis & victu salubri gaudet, immunis manet a molestiis aliis, atque sat vegeta fruitur valetudine. Annos integros morari possunt haec ulcera, sine ullo memorabili sanitatis detrimento.

§. XI.

Exstat & alia huius morbi forma, *Crabbe-Yaws* dicta, quae, quod plerumque nudis pedibus obambulent regionum calidiorum incolae, tam frequens esse videtur. Constituit enim ulcera molestissima, marginibus callosis & luxuriante carne praedita, quae potissimum in plantis pedum erumpunt, ob attritum continuum, quo fit ut cutis crassior indies durissimo corio similis subnascatur, intra quam terra, arena aut ramenta concharum per plateas spargi solitarum recepta, magnas saepe rimas in paniculo adiposo efficiunt. Ulcera haec, ubi partes musculosas arroserunt, producunt gravissimos dolores, ut prae metu attritus curvatis semper plantis incedant Aethiopes. Detersa haecce atque exsiccata ulcera presso pede saepius sequitur morbus Yaws ipse, quem supra descripsimus.

§. XII.

Caussae.

Quodsi ad caussas huius teterrimi morbi consilium transferimus, contagium primo est considerandum, quod manifestam constituit caussam, quae vel consortio carnali cum Aethiopibus habito, vel ipsis etiam muscis leprae, quae ulceribus hisce adliciuntur, sese manifestat. Musca haec est atra, parva, nitida, pediculum vulgarem magnitudine referens, pedibus antennisque albidis, oculis lucentibus, quae ulcera cuiusvis generis circumvolat, ipsaque sudore valido copiose adlicitur.

Neque tamen huius contagii vis aequalis apud Aethiopes, Hemiaethiopes & Europaeos: siquidem hi, licet non immunes, haudquaquam tamen adeo graviter hoc morbo decumbunt, neque adeo frequenter contagio ipso adficiuntur, ac Aethiopes ipsi. Quid, quod Hemiaethiopes (Mulattes, leviore morbo decumbunt, quam Aethiopes.

Insitione posse hoc virus propagari & ratio suadet, & experientia M. GRUDANI, qui feliciori modo decurrere hunc morbum, dum, more eo, quo variolae inseruntur, propagatur, docet.

Observatum quoque est, qui semel Yawense malum passus fuerit, postea haudquaquam eodem corripi.

§. XIII.

Alias caussas, cur in zona torrida tantum hic morbus occurrat, quaerit SCHILLINGIUS (*a*) in victu Aethiopum, qui tenaces complectitur cibos, velut fructus *Musae paradisiacae* (Bananes) *Arachidos hypogaeae* (Neegernooten) *Mammeae americanae*, radices *Ari Colocasiae*, *sagittaefolii*, *Convolvuli Batatas*, *Jatrophae Manihot*, ex quibus tenax chylus & copiosus generari debet. Ex hoc itaque fonte credit SCHILLINGIUS morbum hunc esse explicandum. Multa vero me argumenta impediunt, quo minus a parte ipsius stare possim: namque nostrates passim fructibus similibus vescuntur, radicibus Solani tuberosi, pisis & fabis, quae tenacem reddere chylum valent, neque similis unquam morbus inde exoritur. Ideoque confiteamur potius, nos caussas huius morbi penitus ignorare, quam minus congrua aut vere innocua accusemus.

(*a*) De morbo Yaws dicto, in SCHLEGEL thesaur. pathol. Vol. II. p. 216.

§. XIV.

Curatio.

Cum prodroma adsunt symptomata, praeviaque febris, quam diximus; Aethiopes utuntur infusis herbarum amararum, quae saepius effectum praebent egregium. Medici autem solent cum eccoproticis lenioribus iungere resolventia antimonialia, & sudorifera vegetabilia, velut radicem sarsaeparilae, lignum quaiaci, aliaque id genus remedia. Nihil vero aeque convenit aegrotis, quam habitationis mutatio, aëris usus purioris, & motus praeprimis regularis in aëre sereno.

Eximium remedium in morbo ipso sistit mercurius, cuius insignem contra eumdem efficaciam per decem annos & quod excurrit, ipse expertus sum. Quanquam enim RODSCHIEDUS temere spernat id remedium (*a*), ignorantiae iccirco accusandus est. Initio praxeos mercurium sublimatum corrosivum, SWIETENII methodo, spirituosis, praesertim tafsia & spiritu sacchari solutum, exhibui; postea vero mercurio nitroso, quotidie bis, ad

(*a*) L. c. p. 230.

tres vel quatuor guttulas, usus sum: cui iunxi decoctum ex ligno quaiaci, & aliis sudoriferis. Simul iussi motus assiduos in aëre sereno, qui in eo climate egregie conducunt, ubi calor aëris refrigerium omnino impedit.

§. XV.

Ulcera posthuma, quae *Mama-Yaws* vocantur, nisi laedant partes nobiliores aut sanguinis profusiones producant, detergi atque exsiccari praepostere non debent. Cum vero corruptionem partium minitantur, inserviunt externo usui caustica ex mercurio nitroso aut rubro parata, interno laxantia mercurialia, quibus quoque remediis saepius egregie sanantur hi adfectus.

§. XVI.

Quod ulcera pedum callosa, seu *Crabbe-Yaws* attinet, solent circulatores & agyrtae mercurium sublimatum corrosivum in iis adhibere, qui vero absque ulla alia cautela adhibitus periculosa saepius excitat symptomata, ut opisthotoni inde, spasmi maxillae inferioris & contractio plantarum pedis sequuta fuerint. Ita quoque alia caustica, mercurius ruber, vitriolum cupri, alumen ustum, eodem modo periculum nonnunquam excitare valent.

Ipse quidem ita egi in hoc morbo, ut callosos margines ulceris primum exscinderem, luxuriantem carnem collinerem mercurio nitroso; cum vero ulcera iam partes vicinas nimis arrosissent, interne mercurio usus sum, usque dum ptyalismi instarent prodroma. Tum vero frictiones administravi mercuriales, sine quibus internus mercurii usus nil iuvare solebat. Haec vero est unica medela, quae penitus curare ulcera pedum callosa potest.

§. XVII.

Diagnosis.

Ex praedictis patet, quantopere differat morbus Yaws dictus a *pianensi* adfectu. Hic enim tantum in ditione quadam Guineae, Sanguis endemicus, apud eos solummodo Aethiopes observatur, qui inde in Indiam Occidentalem asportati fuerunt (*a*). Praecedunt eruptionem nulli dolores osteocopi, quales in morbo nostro, neque eruptio contingit in larynge solo & collo, sed maxime ad partes genitales & in inguinibus. Nec sistunt ulcera

(*a*) SPRENGEL'S Beytr. zur Gesch. der Medic. St. 3. S. 77. — *Ei.* Handb. der Pathol. Th. III. §. 968.

pure tenaci, albido repleta, sed fungosa, fragi, aut moriformibus excrescentiis referta. Nulla caries vera sequitur hunc adfectum, velut morbum Yaws, sed sola osteomalacia. Transit pianense malum in lepram rubram, seu Boaciam, nec in lepram squamosam. Nocent in pianensi malo mercurialia, praepostere data, quae tantopere prosunt in nostro adfectu.

A *lue venerea* differt morbus Yaws multis modis, primum quod attinet ad locum eruptionis, qui larynx est in nostro, genitalia autem in lue venerea: deinde quoad variam formam luis venereae, quae unica tantum observatur in morbo nostro. Denique etiam sola natura nonnunquam sanatur, & semel tantum in vita occurrit. Adfinis autem est siphilidi; atque quemadmodum, cum primum appareret in Europa, similis erat sa' fath veterum (§. V.), ita nostris quandoque temporibus sub forma nostri morbi apparet lues venerea (*a*).

A *variolis* toto coelo differt, quanquam temere id adfirmare audeat RODSCHIEDUS (*b*). Est enim chronicus morbus cum cachexia iunctus, neque stadia ea percurrit, quae in variolis observantur. Usus quoque mercurii in hoc morbo confirmat differentiam eius a nostris variolis.

(*a*) THIERY'S Boebachtr. Th. II. S. 226.
(*b*) L. c. p. 227.

SECTIO II.

DE VENA MEDINENSI.

§. I.

Nomen & Antiquitates.

Adfectus hic in regionibus aestuosis satis frequens & a verme excitatus peculiari, antiquitati priscae cognitus haudquaquam fuit, antequam Aegyptus, Arabia & interior Africa naturae scrutatoribus innotuissent. Primus fere, qui huius vermis meminit, fuit AGATHARCHIDES Cnidius, historicus & philosophus tempore Ptolemaei Alexandri, cuius praeceptor fuisse dicitur (DLCLX., ante Chr. 140.). Huius fragmenti de mari rubro eiusque animalibus servavit nobis PLUTARCHUS (*a*), ubi de accolis maris rubri ita loquitur AGATHARCHIDES: „ *Dracunculi* „ *parvi suras & brachia exedunt, sese insinuantes & prospicientes: contrectati vero* „ *sese rursus illatebrant, complicata vero in* „ *musculis phlegmones intolerabiles excitant* ".

(*a*) Sympofiac. lib. VIII. qu. 9.

Traditionem hinc explicare aliquis poterit, quam PLINIUS refert, reperiri *tineas* l. *taenias* in quibusdam regionibus tricenum pedum longitudine (*a*).

§. II.

Inter Medicos fere SORANUS, Menandri filius, qui Alexandriae vixit Traiani temporibus, primus descripsit hunc adfectum, quem non verminculum, sed nervuli cuiusdam glomus esse sibi persuaserat (*b*).

Melius iam hunc adfectum descripsit LEONIDAS Alexandrinus, qui in Aegypto copiosam habuit occasionem, vermem ipsum & ulcera ab ipso excitata cognoscendi. In Aethiopia & India frequentissimum esse, praesertim apud pueros, ubi proveniat maxime in cruribus & suris, quandoque etiam in brachiis. Nihil molestiae primum creare, sed successu temporis circa dracunculi exitum locum suppurari, cutem aperiri & dracunculi caput prodire. Quodsi attrahatur, vehementem excitare dolorem, praesertim, si nimia tractus violentia fuerit ruptus. Namque, quod relinquatur, mole-

(*a*) Hist. n[illegible] lib. XI. c. 33. p. 601. ed. *Harduin.*
(*b*) *Pauli* [illegible]GIN. lib. 4. c. 59. p. 159.

molestissimos dolores inferre: proinde, ne recurrat animal, valido filo brachium esse constringendum, & quotidie hoc moliri oportere, ut dracunculus paullatim progrediens contrictione quidem includatur, nequaquam vero abrumpatur. Irrigandas esse partes oleosis, cataplasmate ex farina & aliis demulcentibus, praesertim vero emplastris fovendas esse ex baccis lauri. Facta suppuratione cutem longitudine incidendam, & dracunculum denudatum auferendum esse (*a*).

§. III.

GALENUS licet multa per dissitas regiones itinera susceperit, hunc vermem tamen se non cognoscere ingenue fatetur. Audivisse se, quod in Arabia proveniat, neque tamen de ortu aut caussis eiusdem quidquam se statuere posse (*b*). Quum vero non multo post de pilorum cum lotio excretorum ortu & caussa ex adusta bile loquatur, traductores ignorantes male hoc reduxerunt ad dracunculos, unde

(*a*) AET. tetrab. IV. serm. 2. c. 85. p. 736. collect. *Stephan.*

(*b*) GALEN. de locis affect. lib. VI. c. 3. p. 66. Cl. IV. *Froben.*

immerito AVICENNA GALENUM accusat, ex atra bile ipsum hunc vermem derivasse... *Paullus* vero AEGINETA LEONIDAE observationes egregie confirmavit, addita curationis methodo, seu plumbeum corpusculum appendere vermi iubeat, quod pondere suo extrahere ipsum possit, ne abrumpat. Alios suadere, ut aquae calidae insideat aeger, qua vermis proliciatur (*a*). Hunc exscripsit *Ioannes* ACTUARIUS dictus (*b*).

§. IV.

Arabes medici vero, qui multo meliorem occasionem nacti fuerunt, cognoscendi verminosum hunc adfectum, multo melius atque curatius eum quoque descripserunt. Inter quos aetate dignitateque primus numerandus venit MOHAMMED RAZEUS (*c*), qui varias variorum auctorum opiniones referens, ab exsiccatis per aestum humoribus interdum illum derivari dicit, ideoque suaderi myrobalanos aliaque id genus eccoprotica. MESUEN (sec. IX.) & JOHANNITIUM s. *Hhonain*

(*a*) *Paull.* AEGIN. l. c.

(*b*) ACTUAR. meth. med. lib. IV. c. 16. p. 246. coll. *Stephan.*

(*c*) Contin. lib. XII. c. 2. f. 254. *b.* lib. XX. c. 2. f. 415. *a.*

ebn Izhak (sec. VIII.) imponere solere abscessibus viscositatem aloes, tanquam anodynum, aut frigida, velut solatrum, psyllium, farinam hordei, portulacam, camphoram. Sectionem saepius iuvare, ubi quoque nullus vermis exsectus fuerit, quod ipse in nosocomiis expertus fuerit. Sale praeprimis esse perfricandas partes, aut oleo cheirino aut sampsuchi, ut vermis egrediatur. Nonnunquam incredibilem se vidisse quantitatem dracunculorum, ad XL. ex unico homine exsectos fuisse. Vocat autem *vermem egredientem* (*Ark insil*) (*a*) in qua voce, cum *Ark* quoque venam denotet, inscii traductores venam intelligi suspicati sunt, ideoque *venam egredientem* male verterunt.

§. V.

ALHUSSAIN EBN SINA, qui *Avicenna* vulgo vocatur, cum *Balkh* Bukhariae natus esset, vermem hunc videtur bene cognovisse, qui ibi saepius, teste PALLASIO, re-

(*a*) Nostris etiamnum temporibus eo nomine insignitur morbus apud Halepenses (Niebur's Bescreibung von Arabien, S. 133.).

peritur (*a*). Pustulam oriri testatur in cute, ex qua aliquid rubri coloris, in nigredinem vergens exeat, prolongari demum & in vermem abire. Perperam quosdam existimare, quod nervi sit villus corruptus. In cruribus potissimum aperiri, sed apud infantes quoque ad utrumque latus & in brachiis. Ex aquis stagnantibus generari & ex cibis calidis siccis: reperiri in Corasane, Persica ditione, & Medinae, Arabiae urbe, unde & *Ark medini* (Vermis medinensis) vocatur. Quae vox *Ark* cum etiam venam & nervum signet, ex hac commutatione nomen *venae medinensis* originem cepit. Cum abrumpatur, oriri dolorem acutissimum cum febre soporosa & convulsionibus iunctum, imo ipsam subitaneam mortem. In curatione sequitur RHAZEUM, simul tamen pilulas Cocchias suadet (*b*).

Nuperiores Arabes Paulum fere sequuntur, sicut ABU'L KASEM Zahara-Hispanus, qui ad spithamas longum vermem quandoque exire fatetur, in Arabia petraea s. Hedschâs ipsum reperiri & ex putridis humoribus generari opinatur (*c*). Singulare nomen huius

(*a*) PALLAS Reisen durch verschiedene Provinzen des russischen Reichs, Th. 1. S. 9.

(*b*) AVICENN. can. lib. IV. sen. 3. tr. 2. c. 21. f. 460. *b*.

(*c*) ALBUCAS. chirurg. lib. II. sect. 91. p. 438. ed. *Channing*.

vermis habet ABD' EL MALEK Abu Merwan EBN ZOHR, quem AVENZOAR vocamus: *Halalnachalaidini*, quod WELSCHIUS bene ita explicat: *Halel elchad medini* (serpens musculosus medinensis) (*a*).

§. VI.

Qui Arabes sequebantur, Latinobarbari Scriptores, cum vermem hunc nunquam vidissent, adfectum credebant humoralem; malis versionibus seducti *venam civilem* vocarunt, cum *Medina* quidem civitatem denotet, sed peculiariter urbem, in quam propheta Mohammedes e Mecca confugerat, ideo *Medinatannabi* dicta, patria huius vermis (*b*). Quo factum est, ut nuperis tandem temporibus, peregrinatores atque medici in regionibus calidis artem exercentes, morbum bene dilucidare, atque explicare potuerint.

§. VII.

Vermis descriptio.

Sitne vere vermis nudus, an larva insecti, quod in aquis stagnantibus & paludibus

(*a*) AVENZOAR Theïsir lib. II. c. 20. f. 34. *d.* ed. *Surian.*

(*b*) E. g. GUID. CAULIAC. aliique.

niduletur, atque ova sua deponat in hominis cute, adhuc ambigitur. BLUMENBACHIUS *Gordii* nomine insignitum vermem ita definit, esse corpus filiforme, teres, aequale, laeve, dirimitque in duas species: Gordium *aquaticum*, extremitatibus nigris, & *medinensem*, totum pallidum. Quae differentia vero cum ab observatoribus non confirmetur, sicut postea videbimus, haudquaquam admittenda est. Ita quoque praepostere inter vermes nudos collocatur Gordius. Etenim nunquam extra corpus humanum in aquis stagnantibus, ex quibus sese insinuare in cutem dicitur, invenitur. Gordii quidem aquatici speciem aliquam reperit in piscibus lacus Waldai PALLASIUS, quae vero ibi nunquam apud homines observatur (*a*). Cum praeterea difficile sit cogitatu, quomodo vermis ultra duas ulnas saepius longus, sine dolore & aliis symptomatibus in cutem gliscere, ibi nidulari atque septimanas bene multas morari possit, cum nemo praeterea viderit hunc vermem ex aqua in corpus irrepere, multi vero exeuntem eum conspexerint: a veritate haudquaquam alienum videtur, ovuli forma introire hoc animal corporis superficiem, deinde vero dracunculum ipsum vermis forma ex ovo prodire (*b*).

(*a*) L. c.

(*b*) Cf. LOEFFLER in RICHTERS chirurg. Biblioth. Th. VII. S. 785.

§. VIII.

Singularis quoque est observatio, in brutis earumdem regionum haudquaquam reperiri dracunculos, quod a crassitie & rigiditate cutis pendere videtur.

In aquis generari aut nidulari ovula huius vermis, inde etiam elucet, quod plerumque in extremitatibus inferioribus occurrant, cum incolae pedibus potius, quam manibus aquam contrectare soleant. Nunquam saltem in pectore & ventriculo vermes observavit BAJONIUS (*a*); nunquam & ego & alii auctores: licet hoc adfirment & PERE' (*b*) & RODSCHIEDUS (*c*).

Aquas quoque potas fortasse continere ovulorum copiam, e quibus vermiculus hic generetur, opinantur KAEMPFERUS & NIEBUHRIUS. Ille enim in terris torridis, ubi nonnisi salsi fontes existunt, in imbriferis anni temporibus colligi refert aquam pluvialem in cisternis, quae, dum stagnet & forsan putrefiat, ovula haec generare possit (*d*). Hinc

S 4

(*a*) Mémoires sur Cayenne, Vol. I. pag. 339.
(*b*) Journ. de Médec., Vol. XLII. p. 138.
(*c*) L. c. p. 303.
(*d*) KAEMPFER. amoenitat. exot. p. 526. Congruit ISERTUS (Reise nach Guinea, S. 234.)

NIEBUHRIUS (*a*) credit, se immunem fuisse ab hoc morbo, quod aquam in cisternis servatam nonnisi colatam biberit. Adsentiri autem huic opinioni, quod e pota aqua oriatur vermis, facile nequimus, cum in internis partibus nunquam dracunculi inventi fuerint.

§. IX.

Longitudo vermis a variis auctoribus vario modo refertur. Duos vero pedes excedere fere nunquam ipse observavi. Alii vero auctores quinque vel sex pedes (*b*), imo septem ad octo ulnas (*c*) longum se deprehendisse testatur. Cuius rei fides sit penes auctores ipsos.

Structura est filiformis, aequalis, nisi quod extremitas capitis, quae prima exire solet, rotunda sit, atque puncto atro instructa. Crassitie aequat culmum graminis, aut chordam instrumenti musici. Rostellum album pellucidum observavit in capite KAEMPFERUS, quod barbae ad instar punctum atrum, orifi-

---

(*a*) L. c. p. 133.

(*b*) BAJON l. c. p. 323. ISERT'S Reise nach Guinea, S. 243.

(*c*) PERE' l. c. — FERMIN descript. de Suriname, Vol. II. p. 334. — DENT in LESKE'S Ausz. aus den philos. Transact. B. I. S. 167.

cium forsan, ambit (*a*). Irritabilitate & sensilitate manifesta totus vermis est instructus, ut vivum esse animal vel motibus ipsis spontaneis probari possit (*b*). Corpus constat filamentis quinque vel sex parallelis, albidis, glutine tenaci iunctis. Extremitas altera, quae ani orificium continet, acuta est & paullum resima.

§. X.

Sedes dracunculi.

Plerumque solet telae soli cellulosae inhaerere, ut intra eam & musculosas partes proserpat: ideoque etiam ab altera parte ad alteram transit. In internis partibus nunquam provenit. Sed cum altius prorepit, intra musculos gliscit, quorum interstitia occupat, aut ligamenta ossium & articulorum perforat & ambit. In his quoque partibus magis contortuplicatur, atque vehementiores excitat dolores, difficiliusque extricari potest, maxime quoque dum firmiter adhaeret telae cellulari. Minima firmitate adhaerere solet dracunculos

(*a*) L c. p. 526.
(*b*) BAJON l. c. p. 322.

telae cellulari scroti; hinc ex scroto facillime educitur. Ad coniunctivam ipsam hunc vermiculum prorepere, atque inter eam & corneam tunicam sedem petere ex BAJONII patet experientia (*a*).

§. XI.

Patria.

Constat, dracunculos tantum in zona torrida existere, malumque inde productum in temperatis aut frigidis regionibus nunquam observari. Neque tamen ubique inter tropicos occurrit, sed praesertim in Arabia petraea, ad oras sinus Persici, in regione Gangetica, ad mare Caspium, in Aegypto superiore, in Abyssinia & Guinea. Quodsi in Americanis coloniis observatur, apud Aethiopes tantum occurrit, ex Africa nuper delatos (*b*). Europaeos aeque posse adfici morbo, quem vermis hic excitat, ex multis observationibus elucet. Quid quod plurium vermium simul in cor-

(*a*) L. c. p. 325.
(*b*) BAJON. l. c. p. 322. — PERE' l. c. p. 124. — GALLANDAT in nov. act. nat. cur. Vol. V. app. p. 112. — POUPPEDES PORTES sur les maladies de S. Domingue, Vol. II. p. 271.

pore exiſtentium copia observata fuerit? Etenim novem aut decem BOSMANUS (*a*), ad quinquaginta usque POUPPEUS sese ſimul in unico homine vidiſſe teſtantur.

§. XII.

Symptomata.

Dum in tela cellulari adhuc latitat vermis, haudquaquam periculosa solet symptomata producere, longumque tempus ibi morari poteſt, donec tandem foras prorumpat. Exempla exſtant, menses plures iam tranſiiſſe, ex quo homo e regionibus, ubi occurrit vermis, redux eſſet, priusquam externum ulcus inde productum fuerit. Solent autem nonnulli laſſitudinem non vulgarem atque inertiam motuum conqueri, antequam in superficie hoſtis appareat.

Interiecto itaque tempore incerto efflorescere solet puſtula pellucida, saepius rubra, ut absceſſum referat, magnitudine piſi, aut avellanae nucis. Haec ad malleolos, ad tibias, crura & pedum plantas frequentiſſime observatur. Cum hoc absceſſu, nonnunquam vehementes

(*a*) BOSMAN'S description of the coaſt of Guinea, p. 54.

dolores excitante, iuncta est quandoque febris valida, rheumaticis doloribus, pulsu celerrimo, duro, soporibus, tussi sicca, & spasticis motibus iuncta, quae periculum vero haudquaquam protinus praesagit (a). Pustula rupta effluit sanies, non pus bonum; basis abscessus similis est necroticae parti, foraminulis copiosis instructa.

Ex horum foraminulorum uno prospicit dracunculi altera extremitas subrotunda, quae cum sanie intra paucos dies ad tres vel quatuor pollices protruditur. Lente deinde quotidie ad aliquot pollices egreditur vermis, donec post septimanas duas sive tres tandem totus vermis egressus est. Quum totus quantus eliminatus fuit vermis, abscessus facile sanatur & coalescit.

§. XIII.

Periculosa vero sequuntur symptomata, dum vermis, vel nimis firmiter adhaerens musculosis, aut tendinosis partibus, vel nimia attractus vehementia abruptus fuerit, vel etiam, dum sanie corrupta involutus, simul putrescit, atque fragmentum relinquit in tela cellulosa.

(a) SCHOELER observat. super morb. Surinam. p. 41. (4. Götting. 1781.).

Pauca tantum exstant exempla, ubi vermis residua pars vel alio tandem loco proruperit, vel vero in eodem loco a natura fuerit eliminata, cum abscessus volumen augeretur (*a*). Ideoque taxandus RODSCHIEDUS (*b*), si nullum ex abrupto verme periculum sequi, inconsideranter perhibet. Plerumque sequitur gangraena aut maligna membri exulceratio, nisi statim ars succurrat.

§. XIV.

Curatio.

Interna remedia, qualia veteres praesertim suaserunt, superflua arbitror, cum affectus cutis solius esse videatur. Exitus vermis primum est promovendus ope epithematum; deinde vero abscessus curandus.

Exitum vermis promovent mercurialia unguenta, quae BAJONIUS iam praedicat (*c*), Neque facile ad sublimati mercurii internum usum refugerem, quem commendat GALLANDAT (*d*). Quum vero exiit, ligni frustulum

(*a*) SCHOELER l. c. GALLANDAT l. c.
(*b*) L. c. p. 302.
(*c*) L. c. p. 329.
(*d*) L. c. p. 115.

ita eſt aptandum, ut fiſſurae sciſſae infigatur extremitas vermiculi, atque circumvolvatur ligno: hoc autem ad cutem vicinam firmetur ope emplaſtri adhaeſivi. Quotidie poſtea ligatura soluta tentatur leniori modo extractio dracunculi, ne abrumpat. Quodſi sanies plurima metum putredinis excitat, spirituosa sunt externa adhibenda, praesertim tinctura myrrhae &c. Denique absceſſus eſt curandus, prout conſtitutio partis id requirere videtur.

Abrupto verme, confeſtim ad inciſionem eſt feſtinandum, ut vermis inveniatur. Tenaculis subtilioribus prehensus vermis educatur: vulnusque vulgari modo sanetur.

OPUSCULUM VI.

AMMONIACAE
THERAPEUTICIS USIBUS RECTE ACCOMMODANDAE
EXEMPLA QUAEDAM ET PRAECEPTA.

SPECIMEN
Lipfiac habitum anno MDCCXCVIII.

AUCTORE

CHRIST. GOTTH. ESCHENBACH

Philosophiae & Medicinae Doctore, Chemiae Professore Publico Ordinario, Societatis Oeconomicae Lipfienfis, Correspondentium item per Helvetiam Medicorum, Chirurgorumque Sodali Honorario.

PROOEMIUM.

Inter ea pharmaca, quibus, magno sane aegrotantium emolumento, salutaris artis magiftri variorum morborum cauffas e medio tollere secundamque valetudinem reftituere consueverunt, illa chemicae artis producta, in

quibus ammoniacalis baseos aliquid continetur, infimum haud mereri locum, res fere certa est, & multis multorum observationibus atque experimentis ita stabilita, ut subdubitare de ea vix liceat. Etenim sive veteres quosdam auctores, qui de medica & chirurgica materia commentati sunt, consulamus, sive eorum evolvamus libros, qui haud multum ante nostra tempora clinicam & chirurgicam praxin excoluerunt, easque, quas facere ipsis contigerat, observationes cognitas reddiderunt, varia ab iis argumenta in medium prolata esse animadvertemus, quibus singularis & plane excellens virtus, quam eiusmodi producta in multis, iisque plus, minusve gravibus morbis exserunt, demonstrari possit atque evinci. Et his quidem ad persuadendum sane aptissimis rationibus commoti fuerunt nuperi nostrae artis Professores, ut quamplurimis aegrotis, qui auxilii petendi caussa ad eos confugissent, eam ipsam ammoniacam aut puram, aut cum aliis materiis mixtam, atque sic internis, externisque usibus idoneam redditam, commendarent, eosque, quibus vexarentur, morbos, eius virtute vel plane iugularent, vel certe lenirent. Quare id sibi negotii impositum esse putarunt, ut praecones efficacis huius medicinae existerent, laudesque, quas olim nacta ea erat, novis laudibus cumularent. Tametsi vero

ro negari omnino nequit, eam ipsam, de qua loquor, salinam materiam saepenumero cum medentium, tum aegrotorum expectationi egregie respondisse, tamen hoc etiam diffitendum non est, frustra eam quandoque in auxilium fuisse vocatam, quae aut spem, quam concepisset medicus, plane falleret, aut saltem iis, quos ab ea expectasset, effectibus producendis haud sufficiens reperiretur. Neque in gravibus solum & periculorum plenissimis affectionibus eiusmodi minus felicem exitum hanc therapiam habuisse, sed levibus etiam aegritudinibus, quas ea saepe fugatas se vidisse alii medici fassi sunt, tollendis plane imparem eam haud raro fuisse, observatio docuit. Atqui hinc factum est, ut nonnulli de inertia huius pharmaci conquererentur, illudque, etsi non plane e medicamentorum apparatu auferendum, tamen non nisi cum laudis, qua condecoratum olim fuit, quadam veluti restrictione inter salutaris artis praesidia referendum existimarent. Utut vero in dubium vocare ego nolim ea, quibus eiusmodi conquestus nititur, clinica tentamina rite fuisse instituta, neque proinde potuisse, non iis, quae attuli, corollariis deducendis occasionem praebere, hoc tamen monendum est, inertiae illius, aut minoris efficaciae caussam haud semper in pharmaco ipso quaerendam, sed repetendam quandoque esse

ab iis, qui therapeuticis illud usibus accommodare allaborarunt, quos in variis medicaminibus conficiendis nonnunquam normam, legesque, quae solidioris pharmaciae principiis haud superstructae sint, sequi, atque adeo therapeuticae administrationi minus idonea pharmaca producere, notissima sane res est. Hinc patet, inconcussam stare ammoniacae laudem, neque posse semper ab eiusmodi tentaminibus repeti argumenta, quibus vel illius, de qua mihi sermo est, medicinae, vel aliorum officinalium, quae dicuntur, medicamentorum efficacia dubia reddatur, aut omnis salutaris virtus ipsi denegetur. Iam vero, quanto graviora sunt mala, quae ab hac, cuius memini, caussa ortum habent, tanto magis allaborandum est in eo, ut ipsis medela paretur. Quare cum equidem nuper animum appulissem ad scribendum libellum, quo publice defendendo ius in gratioso medicorum Lipsiensium collegio assidendi obtinerem, incidi in hunc pharmaceuticae chemiae locum, qui mihi dignissimus visus est, qui repetitis curis explicaretur, atque amplificaretur. Quanquam enim, ut ingenue fatear, hic ipse locus, nostro potissimum tempore, multos, eosque peritissimos salutaris artis doctores occupavit, nondum tamen ita videtur esse illustratus, ut, si eum denuo pertractaverim, operam perdidisse credar. Constitui ergo me-

eum, ab hoc argumento scribendi libelli materiam repetere, &, si fieri possit, aliquas ad amplificandum illum, quem laudavi, locum symbolas conferre. Advertam autem, hac quidem occasione, animum inprimis ad ammoniacalia quaedam pharmaca, quae inter neutris indolis salia pertinent, quorum conficiendorum regulas, quas artifices sequuntur, breviter recensebo atque simul ita diiudicabo, ut, quo modo eae debeant aut mutari, aut corrigi, si vere efficacia & therapeuticae administrationi accommodatissima pharmaca parare velimus, pateat. Ceterum si, quas hac opportunitate oblata, publici iuris facio, cogitationes lubenti lectores animo exceperint, operam, studiumque, quod iisdem conscribendis edendisque impendi, haud male positum fuisse putabo.

CAPUT PRIMUM.

De ammoniaca universim.

Priusquam autem ad princeps mei libelli argumentum accedam, operae me pretium facturum existimo, si paucis exponam, quid ammoniacae nomine significetur, & quae mihi videatur vera huius materiae indoles atque natura esse. Ac eiusmodi quidem praefationem

ego monitis, praeceptisque pharmaceuticis, quae habeo communicanda, plus una de caussa iudico praemittendam. Namque cum nuperi physices atque chemiae doctores varia variorum corporum nomina, quae vel in scholis, vel in vita communi usu essent recepta, mutanda censuerint, eorumque loco alia proposuerint, quae viderentur iis magis accommodata esse, quam illa, quibus olim gaudebant, necesse omnino est, ut accurate explicem, quid mihi nomen, illudque adhuc minus solemne, aut certe alio paullo sensu usurpatum, quod a recentioribus mutuatus sum, significet, ne confusioni aut erroribus occasionem praebeam. Deinde cum in eo occupatum fuerit nostro potissimum aevo multorum studium, ut in corporum naturam, quae adhuc incognita lateret, curiose inquirerent, eorumque inprimis ortum & mixtionem rimarentur, fieri haud potuit, quin etiam ad ammoniacam, de qua variae variorum essent sententiae, animus adverteretur, omnisque adhiberetur opera, qua vera huius materiae indoles cognita fieri posset atque perspecta. Ac, si quid ego hic iudico, eum sane labores, qui in hunc finem suscepti sunt, habuerunt exitum, ut, quid ammoniaca sit, & ex quibus illa partibus naturae aut artis vi gignatur, probabili magis modo, quam olim fieri potuit, queat definiri. Quare hoc etiam res-

pectu mihi videor excusandus, si, antequam, quae princeps est, opusculi materiam aggrediar, ipsi ammoniacae paullulum inhaeream, atque, quam de illa foveo, sententiam & declarem breviter, & simul argumentis quibusdam, iisque ab experientia desumptis, confirmem.

Et quod ad nomen attinet, quod ego rei dedi, de qua mihi sermo est, id a recentioribus naturae scrutatoribus, iis potissimum, qui antiphlogisticae chemiae statores extiterunt, mutuo sumendum censui, quos eo lixivum illud sal, quod volatile est & urinosum quondam aut volatile alcali fuit dictum, insignivisse constat. Etsi enim inter veteres iam fuerunt, qui, cum de hac materia, aut de iis salibus, quibus ea acido quodam saturata inest, loquerentur, *ammoniacae*, aut potius *ammoniaci* & *ammoniacalis* vocem adhiberent, ea tamen ab iis latiori paullo sensu, quam a recentioribus usurpata est, quippe cum, ut veterum auctorum scripta testantur, praeter illa praeparata, in quibus volatile alcali continetur, alia quoque salia, inter quae e. g. muriata calx pertinet, ab ammoniaca fuerint cognominata, quantumvis ea neque volatili natura gaudeant, neque urinosi salis aliquid habeant immixtum. Hinc illi, quos laudavi, chemiae reformatores, qui in denominandis

corporibus maiori cura, ac olim solemne fuit, versandum sibi esse putarunt, nomen hoc volatili illi sali, aut, ut illud definire ipsis placuit, salium constituendorum basi reservandum censuerunt, quo & ab aliis salibus, & vero, etiam a reliquis, iisque alcalinis salium basibus distingui commode posset. Atqui haec, eaque, ut opinor, sufficiens ratio me movit, ut hanc loquendi normam sequerer, eamque vocem strictiori illo sensu, quo nuperi ea usi sunt, adhiberem.

Neque vero purum tantum volatile alcali eo nomine insigniendum, verum etiam applicandum illud ad ea mixta corpora putavi, quae lixivum hoc sal tanquam basis ingreditur, quibus, ut ne cum aliis naturae aut artis productis, quae ea ipsa salina basi gaudent, confundi illa possint, cognomen ab acido principio, aut a metallo, cui iuncta ammoniaca est, petitum, apposui. Ceterum haud arbitror, me propterea longa excusatione opus habere, quod hac in re a consueta dicendi forma paullulum deflexerim; nam, si fatendum quod res est, videntur sane ea, quibus usus sum, nomina non minus, ac plura alia, quae variis corporibus & inprimis pharmaceuticae artis productis a nuperis imposita sunt, haud ita facile, ac multa eorum, quae olim usu erant recepta, erroribus occasionem praebere,

atque cum ob hanc caussam, tum etiam ob concinnitatem, qua se commendant, dignissima esse, quibus chemici utantur.

Iam, cum exposuerim, quid sub ammoniacae nomine intelligam, ad alteram venio capitis huius partem, in qua de indole atque natura alcalini volatilis salis tractare constitui. Nolo autem longus esse in recensendis antecessorum nostrorum de hac re placitis, quae tam parum probatae sint recentioris aevi chemicis, ut vix inter eos inveniantur, qui ea putent aut amplectenda, aut adversus obiectiones, quae contra ea motae a variis sunt, defendenda. Et profecto, si quae olim de huius salinae baseos ortu atque mixtione propositae fuerunt, sententias attento examinemus animo, atque simul dispiciamus, quid experientia, eaque caute instituta doceat, facile elucescet, illos, qui arti huius materiae producendae vim plane denegandam putarunt, non minus a vero aberrasse, atque hos, qui ignis & putredinis auxilio eam ex acido sale, oleo & subtili, quadam terra produci contenderunt; namque argumentis atque tentaminibus, quibus hae sententiae innituntur, vix ullam inesse ad persuadendum vim, multis nuper observationibus evictum est.

Neque vero in hoc tantum substitit recentiorum naturae scrutatorum labor, ut neu-

tram earum, quae suos quondam defensores nactae erant, opinionum veritati consentaneam esse demonstrarent, sed ulterius progredi, &, si fieri posset, accuratius, quam antea esset factum, ammoniacae indolem, ortumque definire conati sunt. Et omnino non inanis fuit opera, qua hoc, quem sibi proposuerant obtinendum, fine potiri studuerant; etenim experientia eos docuit, materias, ex quibus volatile illud sal producatur, subtilis admodum indolis esse, eaque corpora, quae ammoniacam ingredi olim fuerat putatum, in hunc usum a natura non impendi, nisi antea fuerint in elementa sua veluti resoluta atque sic apta reddita, quae cum iis, quibus affinia sunt, materiis coniunctionem inire, novaque corpora producere possint. Si quid ergo aut oleum, aut aliud eorum, quae supra recensui, principiorum ad ammoniacam gignendam confert, hoc tantum pacto id efficere posse credibile est, quatenus & hydrogeneo & mephitico principio (azoto) abundat. Haec enim vera &, ut ita dicam, essentialia ammoniacae principia esse, eaque si inter se rite & ea, qua convenit, ratione iungantur, huic semper salinae materiae progignendae occasionem dare, permultae sane rationes sunt, quae declarent. Tantum ergo abest, ut quae plurium chemicorum sententia fuit, natura sola iis polleat

viribus, quibus apte inter se uniri, atque sic in ammoniacam converti eiusmodi principia possint, ut arti etiam ea, quae huic negotio peragendo conveniat, facultas omnino non videatur esse deneganda. Etenim, ut clarius dicam, quid experientia docuerit, BERTHOLLETUS (*a*) vidit, aërem eum, qui principii vitae animali inimici plenus est, cum inflammabili aëre, sive aquam progignente elemento, caloris auxilio in aeriformi fluidum mutato, lubenter coniunctionem inire, veramque ammoniacam constituere. Atque haec experimenta, quibus ipse LAVOISIER (*b*) fidem dare non dubitavit, alii naturae scrutatores, ex quibus AUSTINUM (*c*) adduxisse sufficiat, felicissimo cum successu repetierunt, eaque invenerunt esse verissima, sic ut de mixtione, ortuque salinae huius materiae subdubitare vix liceat. Quae cum ita sint, videmur omnino a vero haud aberrare, si statuamus, naturam iis ipsis, quorum memini, elementis in hunc finem uti, atque ea sic inter

---

(*a*) CREIL'S *chemische Annalen*, 1791. 2. *Band.* pag. 169. seqqu.
(*b*) *Traité élémentaire de Chimie*, *à Paris*, 1793. *Tome I.* pag. 79. 155.
(*c*) *Annales de Chimie*, *à Paris*, 1789. *Tome II.* pag. 260. seqqu.

se commiscere, ut vel pura, vel alienis partibus plus, minusve conspurcata ammoniaca prodeat. Ceterum etsi his potissimum experimentis, quae BERTHOLLETUS primus instituit, cognita nobis reddita est ammoniacae natura, multum tamen abest, ut ea sola sint, quibus confirmari illa queat, ut potius aliae commemoratae inveniantur in chemicorum scriptis observationes, quae, utut eo consilio non factae sint, ut iis ammoniacae mixtio patefieret, haud parum tamen roboris iis argumentis, quibus BERTHOLLETUS ad eam declarandam usus est, addere videantur. Ac primum quidem ego huc referendum puto illud phaenomenon, quod nitratum vegetabile alcali sub deflagratione cum carbonum pulvere praebet conspiciendum; namque notissima est observatio, medium hoc sal, si cum carbone, aut alio inflammabili vegetabilis regni corpore igni, eique satis vehementi in retorto vase exponatur, aquosum laticem largiri, in quo aliquid ammoniacae aëreo acido saturatae insit. Iam, si, quam subeant ignis vi constituentes huiusmodi miscelae partes, mutationem studiose contemplemur, atque simul ad remotiora tum carbonis, tum nitri acidi principia, quae recentiorum solertia cognita nobis facta sunt, respiciamus, facile inveniemus, quae vera sit illius eventus caussa, quibusque ma-

teriis debeatur ea, quae in conspectum venit, ammoniaca. Scilicet repetenda ea est a quibusdam illarum partium, in quas corpora, quae ignis actioni exposuimus, fuerunt resoluta. Neque enim hoc labore nitratum alcali solum in basin, acidumque spiritum, qui cum ea est coniunctus, dirimitur, sed hic etiam spiritus simul patitur resolutionem, sic ut eae, ex quibus componebatur, partes novis connubiis ineundis fiant admodum aptae. Atqui cum in hac ipsa, de qua loquor, miscela haud plane desint eius indolis elementa, quibus nubere acidi nitri partes commode possint, ea arripient, simulac disruptum est, quod ipsa antea continuerat, vinculum, novaque cum iis constituent corpora. Hac ergo ratione vitae animali inimica aut mephitica nitri acidi materia cum aquam progignente elemento, quod carbone, ignis & nitrati alcali efficacia itidem in partes resoluto, & forte etiam ipsa alcalina basi continebatur, inibit mixtionem, sistetque purissimam ammoniacam; aciditatis e contrario principium, cum quo antea coniuncta illa materia erat, partium inflammabili carbonis substantiae, partium residua portioni aquei elementi, quod e carbone resoluto, basique alcalina dispelli supra dixi, nubet, atque sic efficiet, ut pura ammoniaca aëreo acido saturata & aqua dissoluta in excipulum prodire,

eumque laticem, cui *clyssi* olim nomen datum est, constituere queat. Videtur itaque hoc experimento egregie confirmari BERTHOLLETI de ammoniacae natura sententia; etsi enim haud defuerunt, qui repetendum ammoniacalem spiritum, qui hoc labore obtinetur, ab ea putarent ammoniaca, quae quandoque non recte depurato nitrato alcali, seu, quod officinale eius nomen est, crudo nitro, continetur, tamen, quo minus iis assentiar, observationibus prohibeor, quibus illud etiam medium sal, quod ex purissimo vegetabili alcali & nitri acido fuerat confectum, clyssum aut laticem ammoniacalem dare didici. Quae cum ita sint, eventus, cuius memini, rationem reddi vix posse patet, nisi ipsum nitri acidum ammoniacae, quae eiusmodi latici inest, praecipuam materiam praebuisse assumamus.

Neque vero nitratum solum alcali argumentum nobis offert, quo ad probandam eam, de qua retuli, sententiam uti possimus, sed plura alia sunt cum naturae, tum artis producta, ex quibus tartarum & vegetabile acetatum alcali nominasse sufficiat, quae, quod ignis auxilio ammoniacae portionem nobis exhibeant, ei ipsi opinioni confirmandae admodum apta esse videantur. Et quod ad tartarum attinet, memini me aliquoties ex eo sicca destillatione liquorem obtinere, qui, etsi acido

& empyreumatico oleo potissimum erat refertus, tamen simul aliquid ammoniacae aqua dissolutae, acidoque illo saturatae immixtum habebat; etenim postquam vel alcalini fixi, illiusque caustici, salis aliquam portionem liquori affudissem, vel eas, ex quibus componebatur, partes, apta enchiresi a se invicem studiose separassem, in conspectum purissimum volatile alcalinum sal prodiit. Videntur proinde in hoc experimento oleosae, aqueae & aliae, quae tartaro insunt, partes ignis auxilio in elementa resolvi, quae deinceps, eius ipsius caloris efficacia, coniunctionem denuo ineant, novaque corpora largiantur. Quod autem tartaro accidit, id etiam aliis corporibus, quae natura & mixtione ad hoc sal plus, minusve accedunt, evenire posse, si apta ratione tractentur, haud ullum, putaverim, esse dubium; hinc mirandum plane non est, si vel vini acetum, vel eo saturatum vegetabile alcali, vel alia vegetabilis potissimum regni producta, in quibus nihil ammoniacae detegi resolutionis humida via peractae auxilio potuerat, sicca destillatione aut fermentatione nova aliquid huius ammoniacalis salis observatoribus exhibuisse legamus; nam si ad illa, quorum supra memini, corporum principia respiciamus, facile nos huius eventus rationem, eamque plane sufficientem, reddere posse patet. — At-

que haec habui, quibus BERTHOLLETI de ammoniacae natura sententiam confirmarem. Quanquam enim lubenter largior, plura esse cum e ratione petita, tum ab experientia desumpta argumenta, quibus haec doctrina egregie queat stabiliri, tamen ea hic silentio esse praetereunda iudico, cum finem, quem habui propositum, mihi videar iis, quas attuli, observationibus obtinuisse. Quare nihil amplius de pura ammoniaca dicam, sed ipsam de eius ad morbos sanandos adaptandae modo disputationem aggrediar.

CAPUT SECUNDUM.

De ammoniacae ad therapeuticos usus accommodandae ratione.

Quo efficaciorem saepe medentes in quamplurimis aegritudinibus invenerunt hanc, de cuius natura disputavi, salinam materiam; hoc magis in eo putarunt sibi allaborandum, ut therapeuticis eam usibus accommodarent, ipsisque adeo indicationibus, quibus ea videretur satisfieri posse, aptissimam redderent. Atqui inde evenit, ut, cum vario varii modo hoc fine potiri studuerint, inter officinalia, quae dicuntur, medicamina multa ammoniacalia prae-

parata referrentur, quae suis se viribus commendarent, essentque digna, quae in arte facienda adhiberentur. Namque alii ammoniacam aëreo acido saturam, aut in perfectae neutrius indolis sal, vegetabilis, mineralisve cuiusdam acidi spiritus auxilio, conversam secundae valetudini restituendae peridoneam repererunt, alii e contrario illa ammoniacalia praeparata accommodatissima indicationibus variis esse experti sunt, in quibus volatile hoc sal aut cum metallicis quibusdam partibus intime commixtum, aut in liquidi saponis vel linimenti formam redactum esset. Quodsi vero accuratius consideremus cuncta ea medicamina, quae periti artificis manu tractata ammoniaca largitur, eorum quaedam esse facile inveniemus, quae neque efficacia multum excellant, neque aliis se virtutibus medicae & chirurgicae artis magistris admodum commendent. Quamvis enim, ut ingenue profitear, inter huius census pharmaca, quae commemorata a variis auctoribus sunt, vix videantur esse, quae aut absolutae inertiae sint accusanda, aut ob aliam caussam therapeuticae administrationi plane inepta putanda, tamen eorum aliqua, vel quod admodum luculentis effectibus in humano corpore edendis parum apta sint, vel quod forma, qua gaudent, aegrotis haud placeant, vix digna esse, quae in officinis asserventur, aut in

usum trahantur, unanime fere medicorum iudicium est. Quare etiam nuperi, qui id sibi officii imposuerant, ut ex medicamentorum catalogo omne id expungerent, quo, experientia teste, carere sine ullo detrimento salutaris ars posset, selectum inter ipsa illa, de quibus loquor, ammoniacalia praeparata fecerunt, eorumque haec tantum in pharmaceuticis officinis praeceperunt retinenda, quae therapeuticae administrationi inventa fuerant accommodatissima. Atque haec pharmaceuticae rei veluti reformatio & medicis, & aegrotis admodum fuit fructuosa, quippe qua effectum sit, ut eiusmodi tantum ammoniacalia medicamina in promptu habeamus, quae efficacia valde conspicua sint, iisque indicationibus, quibus talis medicina satisfacere queat, videantur sufficere.

Neque tamen hac solum ratione prodesse recentioris aevi doctores nostrae arti studuerunt, sed id etiam commodi ipsi afferre sunt an nisi, ut ammoniacalium medicamentorum, quae retinenda putassent, conficiendorum methodum emendarent, atque sic ea medicis & chirurgicis usibus aptiora redderent. Et fatendum utique est, haud infelici eos successu hunc etiam laborem suscepisse; namque clinica observatio docuit, varia huius census pharmaca, quae secundum recentiorum praecepta parata fuerant, salutaribus effectibus producendis magis

magis idonea esse, atque illa, quae ad normam, legesque, quas veteres quidam auctores praescripserant, erant confecta. Quanquam autem lubenter largior, cum universam pharmaciam, tum eam quoque eius partem, quae ammoniacalia producta complectitur, nuperorum studio reformatam multum, atque praestantiorem redditam esse, iis tamen assentiri nequeo, qui eam iam ad summum perfectionis gradum pervenisse putent; quippe experientia edocti scimus, in pharmacopoliis etiamnunc haud pauca prostare cum simpliciora, tum magis composita medicamina, quae variis de caussis therapeuticae administrationi parum accommodata sint. Atque hoc iudicium non solum de iis pharmacis videtur ferendum esse, quae ad pulverum, extractorum, electuariorum, syruporum, pilularum cet. classes pertinent, sed valere etiam de quibusdam eorum, quae inter ammoniacalia locum occupant, dubitari nequit. Possem equidem, si instituti mei ratio id permitteret, plura exempla proferre, quae eam, quam proposui, sententiam illustrare, ipsique simul fidem facere videantur; iam autem, cum illa ipsa huius generis praeparata, quorum conficiendorum rationem hac occasione breviter percensere atque diiudicare apud animum constitui, illi scopo sufficere possint, haud arbitror opus esse, ut omnia, quae mihi in prom-

tu sint, exempla proponam, mentemque iis meam declarem. Quare missa faciam illa pharmaca, quae ab eo fine, quem mihi obtinendum sumsi, paululum remota sunt, & ad ea statim producta transgrediar, in quibus ammoniacalis basis acido cuidam iuncta continetur, quae quanto maiorem famam apud clinicos medicos consecuta sunt, tanto magis videntur digna esse, quorum conficiendorum rationes diiudicentur, &, si minus aptae sint vere salutaribus medicamentis conficiendis, reformentur atque corrigantur.

CAPUT TERTIUM.

De Ammoniaca acetata.

Si qua hodie ammoniacalis medicina frequenter in usum trahitur, illa sane est, in qua salina, de qua loquor, basis aceti acido saturata continetur. Neque id immerito fieri, permulta, eaque ab ipsa clinica experientia desumta argumenta testantur. Ab eo enim tempore, quo RAYMUNDUS MINDERERUS, a quo hoc pharmacum etiamnunc cognominare medentes assolent, ophthalmiae potissimum discutiendae, aliisque oculorum affectionibus sanandis cum fructu illud adhibuerat, numero-

sae multorum extiterunt observationes, quae cum his, tum vero etiam aliis indicationibus egregie illud satisfacere, neque externae solum administrationi, sed internis etiam usibus admodum accommodatum esse evicerunt. Quo eminentiores autem sunt vires, quibus se hoc ammoniacale productum medicae & chirurgicae artis magistris commendat, hoc magis id officii incumbit pharmacopoeis, ut in eo conficiendo normam sequantur, qua vere efficax, & cum medici, tum aegroti fiducia dignum medicamen sisti possit. Et sunt omnino inter hos medentium ministros, qui acetatum hoc sal, sive, quod pharmaceuticum eius nomen est, *Mindereri spiritum*, sic praeparent, ut, qui eo utantur, si modo haud nimis exigua dosi illud assumant, saluberrimos inde effectus expectare possint; at vero eiusmodi iudicium non de omni, qui in officinis prostat, *Mindereri* spiritu ferendum esse, repetitis observationibus constitit; namque ita saepe comparatus ille est, ut vel levioribus morborum quorumdam caussis removendis vix sufficiat. Neque vero id semper pharmacopoeis vertendum vitio est, quibus saepe publica auctoritate sancitae leges & praecepta data sint, a quibus deflectere in artis suae exercitio omnino non debeant; hinc, si quod officinale medicamentum therapeuticis usibus haud aptum est, eiusmodi le-

gum latores magis in culpa versari patet, quam eos, a quibus illud paratum fuit. Ac profecto, si, quas nonnulli dispensatoriorum aut pharmacopoearum auctores nobiscum communicarunt, medicaminum quorundam conficiendorum regulas examini, eique rigorosiori subiiciamus, inter eas reperiemus occurrere, quae imitatione vix, ac ne vix quidem dignae sint. Exemplum huius rei, illudque, ut equidem opinor, admodum illustre nobis ipsa illa, de qua loquor, *Mindereri* medicina praebet, cuius, quae in variis pharmaceuticis libris inveniuntur, formulae commendationem haud merentur. Atque haec, quam dixi, sententia ita vera est, ut multis facile possit testimoniis confirmari; iam autem, cum verendum mihi sit, ne nimis a scopo, quem mihi proposui obtinendum, aberrem, si vel ea tantum, quae laudatissimorum dispensatoriorum auctores dederunt, huius medicinae parandae praecepta in medium proferre atque sub examen vocare vellem, ea duntaxat, quae utplurimum, certe in nostris officinis, pharmacopoei sequuntur, breviter hic iudico esse recensenda, utpote quibus ea, quae proposui, optime illustrari posse videantur. Ceterum, ut ne obiici mihi queat, me earum nostri pharmaci parandi formularum, quas nuperiores quidam medicae rei Scriptores cognitas reddi-

derunt, nullam rationem habuisse, eas itidem commemorabo & tandem eam adiungam normam, quam ego cum his, tum illis praeceptis varias ob caussas censeo praeferendam.

Et quod ad methodum attinet, qua utplurimum pharmacopoei uti in hac medicina paranda assolent, consistit ea in hoc, ut aquosa ammoniacae aëratae solutio, sive, quod officinale eius nomen est, spiritus salis ammoniaci aquosus, cum destillato vini aceto commisceatur ea ratione, quae alcalinae basi penitus saturandae, aut in neutrius indolis salinum liquamen convertendae conveniat. Lixivium sic factum, si forte propter alienas quasdam partes, quae aut aceto, aut ammoniacali liquori inerant, minus pellucidum fit, per bibulam chartam filtratur & sub *Spiritus Mindereri* nomine in medentium usus asservatur. Atque hic omnis est, qui medicaminis huius conficiendi caussa in nostris officinis suscipitur, labor, quo artifices eiusmodi se productum obtinuisse putent, quod vel admodum gravibus morbis tollendis egregie sufficiat. Quanquam autem negari non potest, hoc liquamen, si modo recte saturata alcalina basis fuerit, & acetatam ammoniacam vere referre, & medicarum virtutum omnino non expers esse, tamen ex iis, quae dixi, facile arbitror apparere, neutrius indolis sal, quod eo contine-

tur, & a quo omnis eius efficacia repetenda est, ita esse aqua dilutum, ut, nisi una aut sesqui uncia spiritus huius pro una dosi assumatur, satis conspicuis effectibus producendis vix par sit; etenim uterque liquor, quem pharmacopoei in hunc usum adhibent, aquae valde dives est, acidae autem & alcalinae materiae tam parum in se utplurimum continet, ut, si alter alteri admisceatur vix sensibus percipienda effervescentia locum habeat. Neque vero hoc tantum argumento, quod ab eiusmodi minus conspicua acidi liquoris in alcalinum lixivium actione peti potest, nititur, id quod de officinali *Mindereri* medicina tuli, iudicium, sed alia experimenta sunt, quae verissimum illud esse testentur; namque, ut de illis nihil dicam, quorum alii chemici mentionem iniecerunt, ipse ego vidi multoties, cum portiones quasdam huius spiritus, quas ex variis officinis curaveram afferendas, vel lenissimo igni exposuissem, vel alios cum iis labores suscepissem, atque sic omnem aquam a sale, quod ea erat dissolutum, studiose separassem, ad summum septem grana vel dimidium scrupulum, & saepe minorem adhuc copiam, medii salis in integra uncia liquoris contineri. Quae cum ita sint, inter ea omnino pharmaca illum referendum esse patet, a quibus, in gravioribus certe morbis, valde luculentos effectus expectare vix liceat.

Quemadmodum autem chemica experientia rationem nobis patefacit, quae inter medium sal, menstruumque locum in hoc medicamine obtinet, sic etiam observationes in ipsius salutaris artis exercitio factae nos de aquae in eo abundantia convincunt, illudque, quod inde ducendum existimavi, consectarium egregie confirmant. Qua de re, ut efficacior nostra medicina fieret, nonnulli auctores iam olim pharmacopoeis suaserunt, ut ad eam parandam non aquosam illam, cuius memini ammoniacae solutionem, sed ipsam aëratam ammoniacam, quae alcali fixi, aut calcis aëratae, ignisque auxilio muriata ammoniaca expulsa fit, in destillato vini aceto dissolverent, eaque acidum hoc penitus saturarent. Atque est profecto *Mindereri* spiritus, si hoc fuerit modo paratus, medii salis ditior, ac ille, de quo antea retuli, poteritque proinde etiam medici & chirurgi indicationibus variis egregie satisfacere. Quantumvis autem iis, qui hanc conficiendae nostrae medicinae methodum cognitam reddiderunt, lubenter concedam, eam praestare illi, quae in nostris officinis usu recepta est, multum tamen, opinor, abesse, ut perfecta, absolutaque ea dici possit; nam si accuratius examinemus liquorem, qui sic obtinetur, eum itidem, nimiam aquae copiam in se habere animadvertemus, cuius quippe un-

ciam haud supra sedecim vel octodecim grana medii salis continere experientia fuerim edoctus. Ex quo facile intelligitur, eum vix ulla maiori efficacia vulgari illi praestare.

Tantum vero abest, ut haec, de qua locutus sum, unica caussa sit, quam ob rem uterque hic salinus liquor therapeuticae administrationi parum accommodatus inveniatur, ut ad eam alia accedat, quae obsit, quo minus commendare se ille medentibus queat. Scilicet, tametsi omne destillatum vini acetum aqua admodum abundat, acidi tamen principii haud semper eandem esse in eo ad illam rationem, sed eius copiam maiorem mox, mox minorem esse, illudque proinde haud semper eidem alcalinae baseos portioni saturandae sufficere, inter omnes constat. Quae cum ita sint, secus evenire non potest, quam ut cum eo confecta *Mindereri* medicina ditior quandoque medio sale sit, quandoque autem permagna illud aquae copia dissolutum contineat. Ac eiusmodi quidem diversitatem inter *Mindereri* spiritus, qui vel in variis pharmacopoliis, vel in eadem officina variis temporibus praesto sunt, vere obtinere, multis ego observationibus edoctus sum; namque inveni, cum in hanc rem studiose inquirerem, esse quandoque huiusmodi spiritum, qui in uncia duo tantum, aut quatuor grana neutrius in-

dolis salis contineat, esse vero etiam, qui magis hoc sale abundet, atque ad illos, quibuscum supra laudata tentamina institui, plus, minusve accedat. Iam autem variam hanc, quae saepe in ea ipsa medicina obtinet, soluti salis ad menstruum rationem summi profecto in salutaris artis exercitio momenti esse, nemo facile erit, qui dubitet, cum ab ea potissimum medicaminis virtus dependeat. Inde quippe eveniet, ut ea ipsa eius dosis mox effectus, quos ab ea expectamus, vere producat, mox spem nostram fallat plane atque eludat; neque enim scire potest therapeuta, qua copia sal medium in aqua dissolutum sit, neque, etsi velit, poterit sibi semper de hac re accuratam cognitionem parare, cum vel ipsum pharmacopoeum saepe vera ratio, quae menstruum inter solutumque in hac medicina sit, penitus lateat. Hinc pertinere patet officinalem *Mindereri* spiritum inter ea pharmaca, quibus tuto fidere medentes non possint.

Quo minus autem his, de quibus locutus sum, conficiendae nostrae medicinae formulis eo, quorsum tendimus, pervenire possumus, hoc magis interest medicorum, ut, aptiore praeparatione inventa, errores illos, speique frustrationem avertant. Ac fuerunt nuper inter therapiae & pharmaciae peritos,

(*a*) qui iis, quae in medium protuli, argumentis commoti reformandam sibi sumerent eam, quam recensui, normam, novaque simul praecepta darent, quae sibi viderentur medicis usibus accommodatissimae acetatae ammoniacae parandae perapta esse. Quodsi vero circumspiciamus, quid experientia de iis doceat, ita ea haud esse comparata animadvertemus, ut nihil super iis moneri possit. Sed priusquam, quale pretium his methodis statuendum sit, accurate definire allaborem, eas breviter commemorandas existimo. Et alii quidem auctores acetatum ammoniacale lixivium, quod ex fortissimo aceti spiritu & aërata ammoniaca confectum esset, lenis caloris auxilio in siccum, crystallinumque sal converti, idque sub salis *Mindereri* nomine in medentium usus asservari iusserunt; alii vero suaserunt, ut electiva simplici attractione, quae dicitur, ex terrae calcareae in destillato aceto solutione & aërata ammoniaca nostra medicina paretur, eaque tandem in sicci salis formam redigatur. Iam si attento has normas animo contemplemur, eas

---

(*a*) J. B. *van den* SANDE *und* S. HAHNEMANN *Kennzeichen der Güte und Verfälschung der Arzneymittel*, *Dresden*, 1787. pag. 287. seqq. item C. W. HUFELAND *Journal der praktischen Arzneykunde*, *Jena* 1796. 1. *Band*. 4. *Stück*. pag. 588.

sane admodum efficacibus pharmacis conficiendis peridoneas esse, facile elucescit, cum, modo rite eas sequamur, salina sic medicamenta obtineamus, quae perfecte neutrius indolis sint, omnique aqua, si ab ea discesseris, quae formandis crystallis inservit, plane careant. Quanquam autem lubenter largior, utramque hanc methodum his ex caussis aliis normis praeferendam esse, tamen, quo minus eam imitatione dignam putem, variis rationibus prohibeor. Ac primum quidem id utraque haec enchiresis incommodi habet, ut exequi eam pharmacopoei, non nisi cum insigni ipsius medii salis iactura, possint. Namque ea est lixivii ammoniaco-acetati indoles, ut, si ad crystallisationis usque punctum inspissetur, aliquam ammoniacae portionem perdat, atque sic in liquamen convertatur, in quo acidum principium veluti dominatum habeat; hinc omne, quod lixivio vere inerat, medium sal eiusmodi inspissatione & crystallisatione obtineri ex eo non posse patet. Neque est nullius plane momenti putanda ea, quae sic caloris efficacia acidum deserit & sub vaporum forma in aërem dispergitur, ammoniaca copia, quippe quae, si experimentis fides haberi debeat, quandoque dimidiam, quandoque maiorem adhuc partem totius ammoniacae, quae lixivio inerat, aequet; observavi enim, cum

libram civilem lixivii ammoniaco-acetati, in quo duae unciae medii salis inessent, evaporationi, eique lenissimo igne peractae, exposuissem, non nisi septem; aut ad summum novem drachmas medii, illiusque crystallini salis fuisse residuas, cui liquor supernataret, qui admodum concentratum vini acetum referret. Quae cum ita sint, vix commendari eam methodum pharmacopoeis posse patet, qua quippe ita pretiosa evasura nostra medicina sit, ut in omnibus iis morbis, in quibus indicata ea est, adhiberi haud commode queat. Ceterum cariori pharmacorum pretio saepe etiam iis, qui ea vendunt, occasionem suppeditari ad ea adulteranda, non ignotum est; hinc vereor, ut, si eiusmodi ratione, quam modo descripsi, confecta ammoniaca acetata fuerit, genuina in officinis prostet, quae cum aliis neutrius indolis salibus facile commisceri possit. Quare hanc quoque ob caussam haec recentiorum quorumdam medicorum praecepta non omnino laudanda existimo.

Atque hae componendae acetatae ammoniacae formulae, de quibus retuli, dignae mihi inprimis visae sunt, quas breviter recenserem & simul diiudicarem, cum in variis, iisque laudatissimis dispensatoriis, aliisve libris pharmacopoeis tanquam normae, quas sequantur, praescriptae, aut saltem commendatae sint.

Quanquam enim non ignoro, praeter has, quas laudavi, methodus alias enchireses in variis variorum auctorum operibus inveniri descriptas, eas tamen ut prolixe recenseam, omnino non opus esse videtur, cum vel parum tantum recedant ab iis, quarum memini, vel, quod de loewiano procedendi modo (*a*) valet, per plura nos facere doceant, quod per pauca fieri commode possit. Quare iis haud immorabor, sed ad eam statim methodum progrediar, quam ego arbitror efficacissimae *Mindereri* medicinae parandae aptissimam esse.

Cum autem persuasum mihi habeam, eum, qui medicaminum componendorum rationes reformare, novaque pharmacopoeis praecepta dare velit, eo respicere debere, ut praeparata obtineantur, quae non solum insigni se virtute & efficacia commendent, sed etiam, quantum quidem fieri possit, paratu facilia, neque nimis pretiosa sint, ut ne medentes, inprimis cum pauperioribus aegrotis opem ferre velint, ab eorundem usu arceantur, studium equidem adhibui omne, ut, respectu cum ad hanc, de qua loquor, medicinam, tum ad alia ammoniacalia pharmaca ha-

(*a*) L. CRELL'S *chemische Annalen*, 1785. 2. Band. pag. 510.

bito, his quaesitis responderem. Proinde etsi largior, aceti acidum, quod methodo vel a WESTENDORFIO (a), vel ab aliis nuper Chemicis (b) cognita reddita, concentratum est, admodum idoneum ad nostram medicinam esse, illud in hunc usum commendare non ausim, quod non nisi multo labore, magnisque sumtibus possit obtineri. Imitandam potius esse aceti vim acuendi rationem eam, quam STAHLIUS (c) descripsit, quippe qua facili negotio & absque sumtu ab aquae magna copia liberari acidum hoc, atque sic variis efficacibus medicamentis componendis accommodari queat. Etsi vero non dubito, quin cognita artis peritis haec dephlegmationis, quae dicitur, methodus sit, tamen, qua ego ratione eam ad ammoniacam acetatam parandam applicare soleo, paucis exponam, quo melius iudicium ferre de ipsa medicina ex aceto sic concentrato confecta lectores possint. Ac primum quidem eligendum vini acetum est, quod & intensum acorem habeat, & aliis bonitatis characteribus gaudeat, idque exponendum ei fri-

(a) *Disp. de optima acetum concentratum, eiusdemque naphtam confi ienli ratione*, *Gotting* 1772. *pag.* 7.

(b) *Annali di chimica e storia naturale di L.* BRUGNATELLI, *in Pavia*, *Tom. VIII. pag.* 251.

(c) *Opusculum physico-chymico-medico*. *Hal.* 1740. pag. 398. seqq.

goris gradui, qui fere ad o scalae fahrenheitianae accedat; congelascere sic incipiet aqua, quae aceto inest, mutabiturque in crystallos, quae ab eo, quod fluidum mansit, separandae sunt, ut ne plurimum crystallorum generationi obesse queant. Relinquendum est interea acetum in eiusmodi frigore, & glacies, ut identidem suboritur, protinus auferenda, atque hic labor debet continuari, usque dum, aqua superflua in glaciem conversa, dimidia aceti pars superstes sit. Quodsi ita fuerimus progressi, acidum habebimus liquorem, qui peracris sit, magnaque vi & alcalinas bases, & alia corpora, quae aceto affinia sunt, aggrediatur, eorumque insignem portionem dissolvat & in mediae indolis salia convertat. Quare omnino non videtur dubium superesse, quin is acetatae ammoniacae parandae aptus sit. Et profecto, si eum spectes, quatenus a multa aqua liberatus est, poterit utique huic fini obtinendo egregie sufficere. Iam autem, cum crudum vini acetum, praeter aquam, alias etiam alienas, easque potissimum oleosas & mucilagineas partes, quae eo, quod descripsi, artificio inde separari non possint, contineat illud nondum ita esse comparatum arbitror, quo ad nostram medicinam, aliosque mediae indolis salinos liquores componendos uti commode possimus; namque experientia edoctus

scio, *Mindereri* spiritum ex aceto frigoris ope concentrato factum, utut in eo perfecte saturata alcalina basis esset, tamen, si per aliquot septimanas aut menses fuisset asservatus, amissa limpiditate putrilaginem quodammodo contraxisse, qua medicinae usibus fieret plane ineptus. Atqui haec, in quam pronus ille est, mutatio cum potissimum a mucilagineis partibus, quae aceto adhuc inerant, pendeat, auctor ego, suasorque pharmacopoeis sum, ut eas inde studiose separent, priusquam eiusmodi acetum cum ammoniacali basi commisceant. Propterea ex vasis vitreis destillandum est, ut quicquid sordium, materiaeque in putredinem proclivis insit, post se relinquat, purusque in excipulo colligatur aceti spiritus. Atque hoc acidum tale est, quod cum ad alios pharmaceuticos usus, tum etiam ad *Mindereri* medicinam parandam peraptum sit. Etenim, ut nihil de aliis pharmacis dicam, quae confici ex eo possunt, si aërata, eaque sicca ammoniaca ad saturationis usque punctum fuerit in eo dissoluta, genuinam obtinebimus acetatam ammoniacam, quae infantibus ad scrupulum circiter, adultioribus ad unam, aut sesqui drachmam propinata admodum luculentos effectus uiplurimum edet, eumque, qui in officinis prostat, *Mindereri* spiritum virtute multum antecellet. Ceterum, etsi equidem nostram

ſtram medicinam, ſi ita fuerit confecta, internis non minus, quam externis uſibus accommodatiſſimam iudico, tamen ſi efficaciam eius augere aliquis velit, facile hoc fine per inspissationem leniſſimo calore peractam potiri poterit, qua, ſi dimidia pars vaporibus consumta fuerit, absque ulla aut ammoniacalis, aut acidae materiae iactura, sal in anguſtius cogitur spatium, non ſine inſigni efficacitatis incremento & compendio.

Atque haec eſt acetatae ammoniacae parandae methodus, qua ego inde ab aliquo tempore usus sum, quaque medicinam obtinui, quae laudibus, quibus eam supra censui condecorandam, vere digna eſt; namque confectus ſic liquor, isque nondum inspiſſatus, medio sale ita abundat, ut eius in quavis aquae uncia duae circiter drachmae cum dimidia diſſolutae inveniantur; praeterea ita eſt comparatus, ut, quamvis per longiſſimum tempus fuiſſet aſſervatus, haud unquam eum in putredinem vergere, aut alio modo corrumpi viderem. Quare non dubito, quin digniſſimus ſit, quin inter officinalia medicamenta referatur.

Ceterum, ut addam hoc, ammoniacam aëratam, quam ego ad noſtram medicinam parandam adhiberi iuſſi, praeſtare, hoc certe in casu, arbitror illi, quae oleoſis empyreumaticis partibus foeta eſt. Etenim haec,

quae ignis auxilio potiſſimum ex variis animalis regni corporibus obtinetur, ingratum, *Mindereri* spiritui tribuit odorem, & alienas a Medici conſilio vires ipſi impertitur, quibus in pluribus certe morbis, quibus alias remedio eſt, minus aptus ad therapeuticam adminiſtrationem redditur. Quodſi tamen therapeuta indicatione cuidam hanc cum oleoſis partibus mixtam acetatam ammoniacam aptiorem puriore illa, de qua locutus sum, censeat, poterit ea facile & ex tempore, ut ita dicam, ex concentrato aceti spiritu & cornu cervi sale, eo potiſſimum, quod ratione in sequenti capite describenda fuit paratum, componi atque morbis variis sanandis adhiberi.

CAPUT QUARTUM.

De ammoniaca succinata oleosa.

Ab ammoniaca aceti ope in mediae indolis salinum liquorem conversa ad aliud progredior pharmaceuticae artis productum, cui pariter ammoniaca ineſt, alio tamen acido saturata & ſimul oleoſis partibus infecta. Proſtat illud sub *liquoris cornu cervi succinati* nomine in noſtris officinis, relatumque iam a longo inde tempore inter ea medicamina eſt, quae variis aegritudinibus tollendis censentur aptiſſima. Ac ſi experientiam consulamus, inficias ire profecto haud poſſumus, hanc me-

dicinam, quam ego, rationibus a constituentibus eius partibus petitis commotus, *ammoniacae succinatae oleosae* nomine insigniendam putavi, cum resolvente, tum antispasmodica virtute admodum esse conspicuam, quippe quae in nervos non minus, quam in alias nostri corporis partes summa efficacia agat, laesasque earum functiones in naturalem saepe statum restituat. Quare, si quidem talibus ea characteribus gaudeat, quibus de eius cum praestantia, tum ad therap ticos usus aptitudine certo convinci possimus, dignissima sane est, quae inter optima salutaris artis praesidia referatur, laudibusque & encomiis condecoretur. Quemadmodum autem, ut supra vidimus, *Mindereri* medicamen, quod in officinis prostat, haud semper ita comparatum est, ut fidenter eo uti queamus, sic etiam succinatus cornu cervi liquor quandoque minus accommodatus medicis usibus deprehenditur. Namque, ut, quae sit huius medicinae parandae ratio, paucis exponam, solent pharmacopoei utplurimum urinosum cornu cervi spiritum cum succini sale, ad saturationis non omnino perfectae punctum, commiscere, huncque liquorem, per bibulam chartam colatum, in medentium usus asservare. Iam vero, si accurate contemplemur ea, quae miscelam hanc ingrediuntur, salina corpora, ea medicamento probabili & idoneo parando vix ac ne vix quidem apta

esse, facile, arbitror, patere. Ac succini quidem sal, quod in nostris officinis venditur, utplurimum muriata ammoniaca aut alio sale est adulteratum, veri succini acidi autem exiguam tantum portionem habet, estque proinde spiritui cornu cervi in neutrius indolis salinum liquorem convertendo parum idoneum; deinde hic ipse ammoniacalis spiritus itidem non est ita comparatus, qui ad vere salutarem medicinam conficiendam impendi possit; etenim quod supra de officinali ammoniacae aëratae solutione dixi, id etiam de cornu cervi spiritu valet, in quo pariter alcalina basis permulta aqua dissoluta continetur. Accedit praeterea, quod vulgaris iste spiritus, empyreumatici olei dives, sapore & odore ingrato ammoniacam oleosam succinatam ex eo factam contaminat, nauseamque facit aegrotantibus. Quare non mirum est, nonnullos Medicos, cum aut spe de isto liquore concepta excidissent, aut nocuisse eum observassent, de eius utilitate plane desperasse. Quae cum ita sint, laudanda omnino eorum opera est, qui conficiendi huius medicaminis normam, qua pharmacopoei utuntur, corrigere ausi sunt. Quanquam autem ea praecepta, quae hoc consilio a quibusdam artis nostrae peritis evulgata & a REUSSIO (*a*) in compendium redacta sunt,

(*a*) *Dispensatorium universale, seu Lexicon chemico-*

iis, quae pharmacopoei sequuntur, aliquo modo praestare concedo; valde tamen vereor, ut eiusmodi succinato cornu cervi liquori componendo idonea sint, cui tuto fidere medentes queant; namque observavi ego, cum secundum istas formulas hanc mihi medicinam pararem, me liquorem obtinere, qui neque ab officinali illo magnopere differret, neque se aut sapore, odoreque, aut efficacia admodum commendaret. Quare cum, quantum equidem sciam, desideretur adhuc bona liquoris istius parandi regula, non ingratum futurum esse arbitror lectoribus, si meam paucis describam, eamque peritis harum rerum arbitris relinquam diiudicandam.

Cum sic dictus cornu cervi spiritus, qui in nostris officinis divenditur, propter eas caussas, quas supra commemoravi, ad vere efficacem liquorem succinato-ammoniacalem componendum parum idoneus videatur, eius loco ammoniacam olei animalis *Dippelii* partibus refertam adhibere in hunc usum consuevi, quam illi multum praestare expertus sum. Suadeo proinde pharmacopoeis, ut ammoniacae muriatae partes octo cum salis alcali vegetabilis aërati partibus sedecim & olei animalis *Dippelii* parte dimidia exacte commisceant,

---

pharmaceuticum ad nostra tempora accommodatum. Edit. II. *Argentorati* 1791. *Tom. I.* pag. 605. seqqu.

huncque pulverem in retorto vase excipulo munito, calori, eique sensim augendo exponant, ut, quidquid volatilis materiae in eo insit, in excipulum prodire queat. Condensabitur sic prolectus ignis & alcalini fixi salis auxilio vapor in salinam massam, recipientis vasis parietibus adhaerescentem, quae ammoniacam subtilissimo pariter atque efficacissimo animali oleo foetam, eamque & succinato cornu cervi liquori, & nonnullis aliis medicamentis parandis aptissimam sistet.

Neque vero sufficit, si officinalem illam medicinam, de qua loquor, rite parare velimus, ut hanc oleosam ammoniacam in promtu habeamus, est etiam studiose allaborandum in hoc, ut optimae notae succini sale potiamur. Quare, cum experientia sim edoctus, perraro hoc acidum reperiri in nostris officinis genuinum, illud ex succino, velim, sibi conficiant, sicca destillatione, pharmacopoei, atque, postquam solutione in destillata aqua, filtratione & lenissima inspissatione a superfluo oleo, quod ipsi erat immixtum, fuerit separatum, in usus asservent. Nolim autem, nimis curiose ab omni oleo liberari hoc sal, cum, si purissimum redditum fuerit, minus accommodatum ad nostrum scopum sit censendum. Hinc suadeo, ut ea olei portio, quae succini acido dissolvi & simul cum eo per bibulam char-

tam transire possit, cum eo coniuncta maneat, qua medica eius virtus iuvetur, & augeatur.

Iam, si hi labores peracti sint, ammoniacae oleosae, quam parari iussi, quae lubet, copia dissolvatur in destillata aqua & cum ista solutione probe saturata in vitreo vase succini salis, illiusque in pulverem redacti, tantum commisceatur, quantum ad alcalinam basin in neutrius indolis sal convertendam sufficiat. Miscelae sic productae sensim aliquid destillatae aquae addatur, ut omne medium sal dissolvi atque in liquamen mutari possit, quod deinceps per bibulam chartam filtretur & ad therapeuticos usus adhibeatur. Atque sic efficacissimum liquorem cornu cervi succinatum habebimus, a quo, si rite fuerit adhibitus, saluberrimos effectus tuto expectare possimus; quam ob rem omnino non dubito, quin ei, qui apud nos officinalis est, mereatur praeferri.

Iam, etsi plura in promptu habeo exempla, quibus recta ammoniacae ad therapiam accommodandae ratio illustrari possit, tamen, ne scriptiuncula ista in librum integrum excrescat, plura de his dicere abstineo, eaque monita, quae ad *cuprum ammoniacum*, aliaque ammoniacalia medicamenta spectant, in aliud tempus differro.

OPUSCULUM VII.

MEMORABILIA
DE PLICA POLONICA
OMNI AEVO OBSERVATA.
COMMENTATIO ALTERA
AUCTORE
VALERIANO ALOYSIO BRERA.

Plicae Polonicae historia generatim absoluta (*a*), ea, quae hoc in morbo observarunt Medici describere nunc est, ut ipsius diagnosim recte efformare possimus. Quae omnia praesentis Commentationis argumentum constituunt.

SECTIO SEXTA.

§. LII.

Morbi descriptio.

Uterque sexus hoc morbo afficitur, nec est quod nonnulli foeminino, quam masculino

(*a*) Commentatio prima extat in primo Volumine huius Syllog.

generi inesse afferant. Aetatis pariter hic nulla differentia, dum saepius videantur infantes post ortum hoc malo correpti; & in aliis demum post sexagesimum annum plica observetur. BACHSTROMIUS refert, se in primo septenio aliquid mutationis afferre observasse. Hodierno vero tempore rarae sunt plicae verae in Polonia (§. XLIV.), uti observavit LA FONTAINE, mihique pluries retulit clarissimus CERWIAKOWSKY. GILIBERTUS, qui per lustrum in diversis Poloniae provinciis medicinam professus est, octo annorum spatio sedula investigatione sex tantummodo homines plica laborantes invenire potuit (*a*).

§. LIII.

Qui huius morbi *opportunitate* laborant, eo corripiuntur, sive comant capillos, sive ipsos relinquant incomptos, sive sint capilli molles, vel rigidi, vel rari, vel densi, vel breves, vel prolixi. BACHSTROMIUS affert, se plures novisse foeminas, quae huius mali taedio inductae, quidquid ex rescindenda plica noxae provenire possent, ad cutim usque abrasis capillis quotidie bis, aut ter de die pectendis

(*a*) Adversaria medico-practica prima, Lugduni 1791. 8. pag. 295.

sollicitae fuerunt; sed post nonnullos annos renovatis doloribus, utplurimum sex mensium spatio durantibus, ipsis una nocte, aut una hora ex improviso sub lenissimo sensu formicarum repentium adeo contorti atque complicati fuerunt capilli, ut omnem pectendi, atque extricandi conatum penitus eluderent, veramque huius morbi praesentiam demonstrarent.

§. LIV.

Neque silentio praetereundum, etiam canibus, equis, ovibus, volucribus domesticis hoc morbi genus cum hominibus commune esse, saepius cum doloribus coniunctum, quibus eodem modo ac hominibus resectio nocere solet (*a*), ut eadem fere symptomata, & membrorum contorsiones experiantur. In scriptis TYLKOWSKY legimus, bovem in Mazovia mactatum vera plica laborasse, quae pilis simul conglutinatis inter cutem constabat.

§. LV.

Quum primum autem quis plica laborare incipit, ipsius vires fere enervantur, &

(*a*) LA FONTAINE Abhandlung.

faciei color naturalis in pallidum, vel luridum mutatur. Primo dolores obtusiores, vel saltem torpor artuum, digitorum, manuum, pedum, crurum, & femorum, aut horum omnium simul oritur; sensum lassitudinis multi parum animadvertunt, praesertim qui laboriosum vitae genus exercent, aut patientiores sunt. Paullo post artus omnes dolore quodam graviori infestantur, caput sorditie conspurcatur, & furfuribus foetentibus obtegitur; sequuntur dolores vagi nunc ad occiput, nunc ad cervicem, nunc ad scapulas, imo & fixi, arthritici, & rheumatici item capitis, dentium, atque oculorum atrocissimi, ut cruciatus potius, quam dolores dici mereantur. Sub violentiori morbi gradu variarum partium erosiones praecipue faucium ac pedum, palpitationes denique cordis, deliria, imo ipsa mania, atque pica hominem afficiunt. STARNIGELIUS de vi aegrotos cruciante se se exprimit (*a*): „ — Magno omnium malo, magnoque „ cruciatu divagatur: infringit ossa, laxat ar„ tus, vertebras eorum infestat, membra con„ globat, ac retorquet, gibbos efficit, pedi„ culos fundit, caputque aliis, atque aliis „ succedentibus ita opplet, ut nequaquam

(*a*) Epistola ad Medicos Patavinos.

„ purgari possit. Si cirri raduntur, humor il-
„ le, & virus in corpus relabitur, & affe-
„ ctos, ut supra scriptum est, torquet, ca-
„ put, pedes, manus, omnesque artus, omnes
„ iuncturas, omnes corporis partes exagitat".

§. LVI.

Quae quidem symptomata magis aegros excruciant, ubi capillorum intricatio nondum absolvatur. Quibus vero iam intricati sunt pili, vel ad tempus cessant, vel quandoque minuuntur, donec perfecta capillorum intricatione ex toto remittant, vel saltem intermittant. Probe tamen observari debet, non semper in hoc malo pilorum subsequi intricationem, sed saepissime huius loco ungues in manibus, aeque ac in pedibus vitiari, scabros, longos, nigrosque fieri ad instar cornu hircini. In nonnullis ulcera per quamcumque corporis partem, aut tumores varii ad articulorum sedem, naturae, ut dicit BACHSTROMIUS, criticae contingunt. In aliis oculorum acies infringitur; pellicula, nubes, cataracta, amaurosis, aut carnosa membrana visum impediunt; quin imo aliquando oculi prolapsus efficitur, praesertim quando totum aegrotantis corpus convulsione convellitur. Hinc contorsiones, tendinum spasmi, contracturae,

artuum, membrorum paralyses, tandem mors subsequuntur. In quibus vero ad sedem sibi ordinariam morbus erumpit, & terminatur, unica nocte, aut etiam una hora (§. LIII.), capilli plicantur cum symptomatum levamine, aut plenaria cessatione.

§. LVII.

Plicae praesentia facile iudicatur quoties capilli iam implicari incipiunt, ut in oculos incurrat morbus, & ab his dignoscatur. Verum futuram plicam determinare maiores supersunt difficultates; subinde enim alios simulat morbos (§. IL.) corpus infestantes, in primis prout iam dictum (*a*) scorbutum, arthritidem, & luem veneream, dum in artubus symptomata refert, in illis etiam familiaria. Sequentia tamen signa diagnosin reddere valent certiorem, si attendatur:

1. An parentes aegrotantis fuerint plicosi, & in primis an mater gestationis tempore plicam aluerit.

2. An adsint sudores capitis digitos contrectantes glutine quasi inficientes, una cum spurcitie, & furfuribus.

(*a*) *Vid.* Comment. primam, Sect. VI.

3. An ungues sint deformes, scabritie, colore livido, & incurvatione turpes.

4. An pica, vel malacia laborent aegri citra aliam evidentem caussam.

5. An sub anxio spirituum ardentium desiderio inopinato eveniant animi deliquia, quae vel ab odore, vel sapore eorumdem statim evanescant.

§. LVIII.

Nec tamen ut signum pathognomonicum habendum, si praesentibus doloribus tensivis, scapulas, cervicem, & occiput exercentibus, sensus frigoris in summo vertice observetur, qualis in hypochondriacis, & hystericis locum habet. Idem est, quando ex summitate capitis praeter morem sudor fumi adinstar prorumpit. In foeminis pariter secus ac in viris aliud quoque criterium familiare, scilicet plica incipiente conqueruntur aegrotantes de sensu caloris sub sterno nunc mitiore, nunc in modum ignis intensiore, ac si globus ibidem resideret. BACHSTROMIUS credit, plicam in foeminis superstitem fore quoties dolorem quemdam lancinantem sub sterno accusant in modum ignis urentis, aut obtusiorem saltem, quasi aliquid ibi globosi volvetur. Intimius hunc dolorem ferme circa pericardium haerere

a compluribus examine rigoroso instituto deprehenditur: idem ab observationibus ERNTDELLII, & HERMANI confirmatur. Praeterea magnae circa fluxum menstruum anomaliae adsunt, & hinc frequentes insultus hystericos experiuntur.

§. LIX.

Notandum quoque est, malum hocce cuilibet morbo per Poloniam grassanti libenter se se adsociare. Quadam anni periodo iunctis viribus dupliciter aegrum adfligit una cum dysenteria, uti videre mihi occasio fuit aestate anni 1795. in Cracoviae valetudinariis. Plicam cum ictero descripsit VEHR (*a*), & rheumaticis affectionibus coniunctam pluries observavit GILIBERTUS (*b*). Anno 1653. HELUSIGIUS Ratisbonae duos iuvenes Polonos medebatur, qui uno simul fere tempore variolis aegrotabat, amboque plica a iuventute afficiebantur (*c*). Caeterum huiusmodi plicosi morbi complicationes ipsius naturam nullo modo evertunt, consuetumque curriculum solvere non

(*a*) Dissertatio de ictero.
(*b*) Adversaria practic. prim.
(*c*) Observationes physico-medicae. Augustae 1680., 4to pag. 134. Observ. XXXVII.

impediunt. Febricula continua, quae *lentam nervosam* HUXHAMII simulat (*typhum lentum*), circa vespertinas horas quotidie increscens (§. XX.) plicam comitatur, & morbum indolis summe asthenicae efficit. Hinc nil mirum, cum aliis morbis asthenicis complicari; prout opportunitas ad hunc, vel illum morbum in corpore existat.

§. LX.

Symptomata, quae plicae eruptionem praecedere, vel comitari solent in omnibus hominibus non eiusdem indolis sunt, & sub diversissimo quandoque schemate incedunt. Aliquando observatur picae cuiusdam species (§. LVII.) plicae adventum significans, & in nonnullis adeo gravis, ut omnibus cibis, & sordibus in odio habitis ex certo tantummodo potus genere solamen ingens percipiant; id quod ventriculus perfert, reliquis fluidis mox post deglutitionem per vomitum redeuntibus.

§. LXI.

Praecedunt pariter dolores sed obtusi, aut tantum torpor artuum tam superiorum, quam inferiorum, vel quo ad quasdam horum partes, manus, digitos, cubitum, femora, vel

vel omnes ſimul vexantes. Accidit quoque, ut dolores ab initio laeves, quando spinam dorſi, & scapulas petant, paullatim increscendo in cruciatus abeant violentiores, & sat diu infeſtantes ita, ut tremores, vel convulſiones aliquando accedant. Non raro exoriuntur ulcera cachoetica in primis in faucibus, & naribus; artus occupant nodi, & tophi, ut in luis venereae suspicionem incurrant aegrotantes. In infimo ventre quandoque observatur tumor praegrandis nunc in dextero, nunc in ſiniſtro latere mobilis, & durus. Experiuntur saepe numero vomitum, diarrhoeas speciem lientheriae referentes; non nunquam alvus eſt obſtipata; urinae secretio praependitur, & quae demum excernitur, subfuscum colorem exprimit, & mephiticum spirat odorem. Si pectus in consortium trahitur, oriuntur palpitationes cordis, respirationis difficultas, tuſſis ſicca, aliquando convulſiva, dolores punctorii, pleuritidem, vel peripneumoniam mentientes. Sociare se se hisce affectionibus plus ſimplici vice solent motus febriles (§§. XX. LIX.), nunc vagi, nunc ſine intermisſione continuantes, ſitis, agrypnia, & deliria, ut lethalis aliquando contingat exitus. Sub morbi violentia ungues peduum & manuum craſſitie extraordinaria, incurvatione, itemque scabritie afficiuntur, & flavum, vel lividum

colorem adipiscuntur. In nonnullis ulcera ac tumores varii post hos dolores efformantur difficillime sanabiles. In aliis oculorum acies infringitur, pellicula, nube, suffusione, amaurosi exorta.

§. LXII.

Non vero semper huius convolutionis pilorum inextricabilis adventum antecedunt mox supra memorata symptomata; sed multiplici constat experientia, plicas fuisse subortas, quin vel minimus dolor, vel sensibilis quaedam aegritudo earumdem futurum proventum indicaverint. In Germania, Anglia, Belgio & Gallia tales cirros non infrequenter absque incommodis & natos, & gestatos observari dictum est (*a*). Verebor tamen, ne vera & falsa plica (§§. VI. XXCXIX.) rectius distincta sit. Dolores plicae futurae eruptionem enunciantes utplurimum ad semestre spatium extendi, usque dum germen extruditur, refert ERNTDELLIUS (*b*).

§. LXIII.

Venenum plicosum corpore humano assumptum in omnibus non mox prodire obser-

(*a*) Vid. ZWINGERUM l. c.
(*b*) L. c. pag. 159.

vatur. Poteſt enim diu delitescere in corpore sano absque ullo sanitatis detrimento, donec a cauſſis externis, vel internis in actum fuerit deductus.

§. LXIV.

Eruptio non undique eodem modo se se habet. Interdum subitanea praesentia se in pilis oſtendit, ut intra spatium unius diei, vel paucarum horarum, imo nonnunquam unius horae citra praecedentes notabiles moleſtias manifeſte conspiciatur. In aliis tardo valde ingreſſu proventus, ut ad annum aliquando se se extendat. Hocque in primis in valetudinariis observatur, utpote in quibus proventum cruciatus satis exquiſiti concomitare solent, haud prius ceſſantes, quam plica completa apparuit.

§. LXV.

Omnia symptomata, quae eruptionem praecedere solent haud prius ceſſant quam plicae primordia apparuerint, quidquid etiam Medici in subſidium trahant. Simul ac vero tortuosa illa pilorum convolutio increscit, satis palam symptomatum enunciatorum saevitiem decrescere, tandemque penitus aboliri conſtat.

§. LXVI.

Hi ipsi crines, qui per triginta, vel etiam quinquaginta annos ab hac labe immunes fuerunt, tandem unica hora praeter spem atque opinionem plicantur, atque se ipsos miris plicationibus amplectuntur ita, ut saepius & in radice per digiti spatium, & simul in extremitatibus a complicatione immunes sint, atque perpetuo divulsi, separatique maneant. Saepius vero etiam in ipsis capillorum extremitatibus haec plicatio sedem figit.

§. LXVIII.

SAUVAGESIUS asserit, diversa esse plicae symptomata eruptionem antecedentia (*a*) pro diversis huius morbi speciebus; auctoritatemque CARTHEUSERI refert. CARTHEUSERUS vero, has morbi species ignorare dicit, & miratur, SAUVAGESIUM ea, quae de hoc in sui *Pathologiae & Therapiae fundamentis* proposuit, non recte intellexisse; etenim nunquam credidit, plures huius morbi esse species, verum tantummodo memorato-

(*a*) Nosologia methodica T. III. §. II. pag. 517.

rum symptomatum alia magis hunc, alia alium plicae candidatum (seu quod idem eſt aegrum, cui plicae eruptio tandem supervenit) excruciare, quod cum aliorum medicorum obſervationibus recte convenit.

§. LXIX.

Ante eruptionem furfures, aliquando primo, aut pediculi etiam in capite generantur, & tum unus, aut alter cirrus cum vicinis ſibi crinibus complicatur, & deusus in conspectum prodit, his a syncipite, illis ab occipite propendens, aliis adinſtar cucuphae totum caput involvens, aliis adinſtar panni craſſioris & lati ad librarum aliquot pondus tergum tergens, pondere, ac horrido conspectu moleſtus, ut iam fuit enunciatum (§. XLVI.).

§. LXX.

Exclusa tandem ad capillos materia plicosa, plurima, atque memorata symptomata ſilere; aut saltem mitescere solent. Dico plurima; etenim CARTHEUSERUS, aliique obſervarunt, poſt tricarum formationem aliquando morboſi quidquam in corpore adhuc extare, & hinc malum illa criſi rariſſime radicitus extirpari, praesertim quum praecedentia sym-

ptomata graviora ob nimis retardatam plicae eruptionem valde dudum invaluerint. GILIBERTUS vidit Grodnae anno 1779. (a) virginem annorum viginti natam, a tribus annis plica polonica laborantem, quae saepe rheumatico dolore totius dextri lateris cruciabatur. Eo tempore vix pedem movere poterat, & huius lateris capilli agglutinati unam massam constituebant. In ista bulbi capillorum vere tumefacti & infarti sanguine atro, foetido; plicae odor singularis, proprius.

§. LXXI.

Sub languido huius morbi progressu primum humoribus plicosum inquinamentum se se inserit; postmodum partes solidas, molliores aggreditur; porro cartilagines, & demum ossa erodit.

§. LXXII.

Quamquam laevius hic morbus homines afficere possit, semper tamen aequalem sui agnoscit solutionem, per pilorum videlicet cirros, ungium in manibus, pedibusque defoe-

(a) L. c. pag. 294. Observ. 37.

dationes, & efflorescentias in toto corpore furfuraceas. Patet hinc, criticam hanc esse morbi solutionem; etenim nihil periculi aegro evenit ex cirrorum proventu, ungium deturpatione, efflorescentia cutanea, quippe quae plerumque quamdiu aegri sunt, & postquam sanitatem pristinam recuperarunt, fine omni damno ad mortem usque perferunt.

§. LXXIII.

Ut huius morbi diagnosis recte dignoscatur nonnullas historias exponere operae pretium existimo, antequam caussarum investigatio suscipiatur (*a*). Referam observationes a clarissimis Scriptoribus collectas, & primum eas a BACHSTROMIO delineatas.

Observatio prima.

Mulier Iudaea aetatis 28., temperamenti melancholici, vitae genere cauponaria, primo sensum lassitudinis per totum corpus experta, demum dolorem lancinantem sub sterno sentit; nec minus inter scapulas hic & eiusmodi do-

(*a*) Quae tertiae Commentationis argumentum erit.

lor per cervicem progrediens in vertice demum aliquantisper quiescens, omnes capillos cum levamine, & cessatione dolorum complicat. Hos illa post aliquot menses resecans, nil gravius per duos annos patitur. His praeterlapsis redit morbus cum melancholicis motubus, spectrorumque formidandis apparitionibus, sensuque molestissimo sub sterno. Rursum cum eruptione plicae levamen sentit, saepius tamen de dolore sub sterno, & de hystericis passionibus conquerens, tandem annum 36. agens, satis prospera utebatur valetudine.

Observatio altera.

Nobilis Polonus temperamenti sanguinei, sexagenarius, primum bellica, & postea rei familiaris administratione adstrictus, primo sensum torporis in pedibus patitur, qui ascendens ossa innominata occupat. Chirurgum Iudaeum advocat, qui haemorrhoides existimans, sanguisugas ano admovet. Aeger praeterea semicupiis usus, nullum obtinuit levamen, imo morbus latius progrediens, flexuram impedit, rigoremque omnibus fibris inducit. A servis suffultus, pedes per ambitum circumferre cogitur: ubi musculum quemcumque digito percutit, tremulum motum ac in chordis extensis sentit: praeterea sonum percussae, ac trementis fal-

cis ſibi audire videtur. Idem in rigido virili membro patitur. Ubi haec rigiditas pectus occupat, & versus caput adscendit, de salute desesperans, uxorem eiulantem ad BACHSTROMIUM mittit, sana reliqua in thorace idem sentire dicit. Hoc quoque BACHSTROMIUS aurem, & alias partes percutiens, manifeſte sentit & discernit, & ut ut novitate spectaculi perculsus, tamen antispasmodicis & diluentibus, ac oleoſis, imo balneis discutientibus torporem solvere ſtudet, sed irritus laborat. Rursus poſt aliquos dies advocatus, eadem nocte inter sensum formicarum aliqua pars capillorum canorum complicatur. Calvus erat senex, ut numerare breves, & rari capilli potuerint, & tamen improviso negotio plica efformatur. Poſt hoc paulatim hic rigor ferme per semeſtre remittit, & tertio anno evanescentibus omnibus symptomatibus priſtina utitur valetudine.

Observatio tertia.

Foemina nobilis, temperamenti melancholici, aetatis 30. annorum, otio & deliciis, imo vino & potui spirituoso indulgens, sub morbi cuiusdam curriculo abortum fecit. Poſt ea horror ſtatim totum ipſi invadit corpus, pedum laſſitudo, & menſium anomaliae succedunt, vicarius vomitus cruentus, mali hyſterici frequen-

tes insultus debilitatem augent; tandem plica erumpens aliquas inducias paciscitur. Illa impatiens dedecoris, eam protinus resecat. Post duorum annorum intervallum malum redit cum melancholicis figmentis, & iungitur quoque hydrops uteri. Illa rursus abominatione plicae, quum crinium ornatum maxime diligeret, eam abscindit, & prout antea fecerat, sic nunc magis ancillae negotium dat, ut pectendi frequentia malum cohibeat. Sed vanus labor, in lecto aegra iacens inter summos dolores cogitur culturae renuntiare; interim plica, & nunc saepius doloribus praecipue per semestre perdurantibus corripitur.

Observatio quarta.

Chirurgus quidam Gallus ad sacerdotem alio morbo decumbentem advocatus, exclusus tempore ibi pernoctare cogitur, & se se sternit supra ancillae lectum, cuius pulvinaria satis munda ipsi videbantur. Summo mane surgens quum ancillam plicis horrendis per tergum pendentibus circumire videret, stupet, statimque metu mali percutitur, totum corpus ab horrore invaditur, & dolent scapulae, cervix & caput. Post semestre tandem plica erumpit, quam male fert animo; & quum pudor & metus, ne conspiceretur, summus esset,

ebrius illam abscindit. Statim dolores primum succedunt, & posthaec oculi dextri prolapsus; & paulo post taedio, & morbo confectus vitam amisit.

Observatio quinta.

Vir 36. annorum per integrum annum vomitum passus est: nullum enim potus genus ventriculus retinebat: fluxum insuper alvi faecum adinstar patitur; tandem post anni decursum plica erumpit, & omnia cessant.

Observatio sexta.

Foemina uxor sacerdotis Graeci, aetate 27. annorum, temperamenti sanguinei, floridaeque ac sanae constitutionis, doloribus sub sterno, nec minus in dorso, scapulis, cervice & vertice spastici correpta, tandem plicam patitur, quam post duorum mensium decursum resecat. Per quatuor annos pulchre comata vixit, sed paulo post summis denuo doloribus conqueri coepit, & turpis plica erupuit.

Observatio septima (a).

Vir natione Lithuanus 36. annos natus, turgido corporis habitu praeditus, robustus,

---

(*a*) Observationes septima, octava, & nona ab HERMANNO sunt desumptae.

diaetae legibus minus assuetus, post atrocia abdominis tormina diarrhoea cum sanguine mixta corripitur. Fluit alvus per quinque dies sine notabili virium prostratione, appetitus imminutione, & somni defectu. Iudicans hinc, hocce profluvium esse haemorrhoidale, & longaevitatem annunciare, sine medicina cuncta fert aegrotus. Quum vero per quatuordecim dies sedes sanguinolentae continuarent, manus sinistrae torpor oriretur, & horrores febriles intercurrerent, medicus vocatur, qui, examinatis omnibus, ipse quoque nescius erat, cuinam morborum generi, symptomata haec annumerarentur. Non erat dysenteria, non solus haemorrhoidum fluxus, & ad febres referre hoc malum indicantia non indicabant. Tandem de plica cogitans interrogat patientem, an fortassis eius familia ad plicam erat prona? Nequaquam respondebat. Medicus vero transegit apud aegrotum noctem integram, ut melius morbi naturam indagaret. — Somnum habebat inquietum, & latus sinistrum fere immobile fiebat cum aliquo dolore. — Secunda die invenit aegrotum paralyticum ex utroque latere: in spina dorsi dolor, auriumque tinnitus difficili auditui se se iunxerat, & alvus vero exonerabatur cum plenaria sanguinei fluxus cessatione. Nunc medicus plicam futuram praedixit, & praescripsit medicamina sangui-

nem depurantia, excretionem plicae promoventia, nec non externas capitis lotiones. Quum per quinque hebdomadas haec continuaret aeger, tandem in occipite circa finem suturae sagitalis versus lambdoideam plica in conspectum prodiit, quotidie crescens, & ulnam longitudine, & craffitie tres pollices superans. Vires poftea paulatim reftaurabantur, priftinum robur corpori accedebat, susurrus cum auditus difficultate evanescebat, vividus faciem color tingebat, & elapfis quatuor hebdomadis patiens recte valebat ita, ut domefticis curis opem dare potuerit. Vixit deinde per multos annos omnibus morbis immunis. Plica vero nec sponte decidit, nec resecandam curavit.

Observatio octava.

Illuftris foemina 25. annorum, temperamenti, quod vocant sanguinei, pulcherrima, menfium profluvium copiosum semper patiens, ter facta puerpera, poft aliquos animi affectus omnia persentit symptomata, febrim continuam declarantia. Vena secatur, medicamenta nitrosa, diaphoretica porriguntur, & his nil proficientibus, delirare incipit. Quotidie delirium ita augebatur, ut tres viri vix sufficerent ad eam cohibendam. Nulla hic plicae coniectura, sed ut calorem febrilem extingue-

ret HERMANNUS, praescripsit emulsionem camphoratam cochleatim sumendam; verum ob famularum errorem hora noctis undecima totas uncias octo exhaurit medicinae. Post horam dimidiam insignes clamores, & violentissimi corporis motus insurgunt, ut laqueis eam constringere coactum fuit, ne fugeret, aut per fenestras se se praecipitaret. Circa horam secundam quieta fiebat, mussitando dormiebat, & post quartam sudavit tam copiose, ut aqua perfusa videretur; post quintam tandem mentis erat compos, & de sensu pruriente in capite conquerebatur. Hoc adspiciens observabantur hinc inde crines in cirros involvi. Blandis dein sudoriferis materia ad capillos propulsa, & quotidie aegra vegetior facta, pristinam brevi recuperavit salutem.

Observatio nona.

Vidua annum quadragesimum sextum attingens, plenioris corporis habitus, ante aliquot annos post abscissos plicae funes libera ab eius symptomatibus vixit; sed postea cunctas incipit pati miserias, quas afferunt motus arthritici. Quum interdum levamen sentiret, nec diu lecto affixa teneretur, omnia aequo animo ferebat, verita, ne iterum plica erumperet, si moveretur. Hinc praeter sanguinis

missionem & lene laxans nullis utebatur medicaminibus. Haec matrona ob mariti obitum curis & moerore summo afficiebatur, & tandem in sequentem incedebat morbum: vomitus matutini cum crebris sedibus & torminibus ventris erant molesti; palpitatio cordis, dolores in spina, motus in abdomine vehementior, pulsus ictus referens, in vertice frigoris sensus, dolor sub sterno, appetitus imminutio, somnus interruptus, pavores, pica, sitis, tussis, ructus. Multi consulti Medici, quaesiti innumeri Agyrtae, Iudaei (talibus enim blateronibus & sycophantis abundat Polonia) variam sibi formarunt de morbo ideam, & ob hanc caussam varia etiam propinata remedia. Quidam enim eum pro malo hysterico venditabant; alii accusabant vermes; & acutiores opinabantur, veneficio esse inductum hunc morbum. Colluctati sunt cum hoc implicato malo per satis longum tempus, eo vero successu, ut aegra redderetur imbecillior. Tandem ad HERMANNUM confugit, qui omnibus accurate pensitatis ad plicam abscissam omnia symptomata retulit, & omnia hinc frustra tentarentur, nisi haec iterum expellatur. Annuit aegra huic consilio, & post adhibita indicata remedia denuo exiit plica cum decremento symptomatum, & tandem perfecte valuit.

Observatio decima (*a*).

Vir quidam constitutione cholericus, septuagesimum primum aetatis annum ingressus, castra sequutus olim die nocteque saepius equitando, laboribus durissimis corpus defatigatum, salitis, fumo induratis, variique generis difficile concoquendis usus alimentis, vinum hungaricum, atque crematum affatim ingurgitans, nunquam ullo morbo fuit incommodatus. Quum minus mobilem vitam ob aetates ducere cogeretur, de doloribus rheumaticis articulorum saepius conquerebatur, qui vero venae sectione, motuque corporis placido saepius instituto ut plurimum cedebant. Caeterum satis bona fruebatur sanitate. Post aliquot annos autem inter prandium praegresso tensivo atque molestissimo in vertice & palpebris dolore, statim visum protinus amisit. Vocatus medicus, qui probe examinans morbi praesentis statum, a copiosa serosae colluviei congestione circa nervum opticum tanquam a caussa proxima visus abolitionis perfectae accusavit. Hinc praeter resolventia interna & cephalica, laxans rhabarbarinum

(*a*) A NEIFELDIO exposita.

barbarinum statim exhibuit, pediluvia praescripsit, & externe palpebras oculorum, atque verticem *balsamo vitae* HOFFMANNI foveri iussit. Ex horum remediorum usu visus sensim sensimque redibat: interim tamen ab hoc tempore saepius articulorum doloribus rheumaticis vexabatur, donec aliquot mensibus elapsis idem hoc triste symptoma rediret. Applicita fuerunt denuo superius recensita remedia, quibus etiam quodammodo infringi videbatur morbus: perfecte tamen non restituebatur visio, sed mox clarior erat, mox obscurior, dolore illo tensivo in vertice & oculorum palpebris simul affligente. Sequebantur tandem calor internus auctus cum pulsu celeri, & magno, praecordiorum angustiae, sitis magna, deliria, cruciatus atroces in iuncturis articulorum, praesertim in scapula, cervice & occipite, & diarrhoea. Urina erat rubicunda absque ullo sedimento, & nullus sudor. Laxantia nitrosa, alexipharmaca, & alia satis efficacia remedia a medico ordinario quidem fuerunt adhibita; noluit tamen his omnibus adeo molesta cedere morbosa adfectio. Demum octo circiter diebus elapsis, omnia haec symptomata cessarunt, visusque redibat perfectus. Aegrotus nesciens cuinam haec exoptata morbi mutatio in sanitatem attribuenda esset, animadvertit, plicam prodiisse, de qua nemo cogitaverat. Ab isto

tempore his symptomatibus immunis cum sanitate in gratiam rediit, nec unquam ulla adversae tulit sanitatis incommoda.

Observatio undecima.

Prope urbem Brzesc vidit GILIBERT (a) mulierem nobilem, quadraginta annorum natam, plica laborantem. Erat levis capillorum conglutinatio; dolores aderant in artubus, leucorrhoea, tussis; credidit aegrota, se phthisi laborare. A tribus mensibus affixa in lecto manebat. Dissipatis ratiocinatione medici terroribus, postridie dereliquit stratum, & sat vegeta fuit. In eadem foemina periodicis temporibus digiti lutei fiunt; durat color per aliquot dies, & postea sponte evanescit.

§. LXXIV.

Ex relatis eminet, summa diligentia opus esse, ut hic morbus recte dignoscatur. Quod ad ungium defoedationem, & capillorum implicationem attinet, non tam de morbi initio, aut praesentia, sed potius decremento testatur; iisque apparentibus morbus solvitur.

(a) Adversaria &c. pag. 294. Observ. XXXVI.

Capitis sudores viscidi, & glutinosi plicae tantummodo proprii non sunt; sed & in hectica febri, phthisi, cachexia, aliisque morbis apparent. Maxime vero a Practicis quaestio de morbis haereditariis semper & ubique fere instituenda est; huiusmodi enim argumentum medicos non solum ad morbi cognitionem ducit, sed & ad prognosim statuendam rationem explanat. Si parentes plicosi fuerint, facile iudicatur, & natos hoc malo tentari posse.

§. LXXV.

SINAPIUS vero notat (*a*), unicum notabile symptoma adhaerere plurimis plica laborantibus; nempe quod illi videantur habere appetitum in quamdam rem quasi defixum, adeo ut e. g. plerique aegrotantes solum vinum appetant, reliquos liquores, seu potulenta omnino adversantes; alii solam aquam exoptant; alii in cerevisiam impensius feruntur. Singularis vero est, saepius religiosos homines in Polonia conspicere, non alio, quam huius morbi vitio, bibulos, & per totam diem vel cerevisiam, vel vinum ingurgitantes.

Z 2

(*a*) Paradoxa medica; Genevae 1697. 8vo, pag. 30.

§. LXXVI.

Ex omnibus huc usque allatis eruitur, plicam haud esse ad morbos levioris momenti, verum potius ad primarios maxime referendam; dum sanitas, imo ipsa vita, ab ipsius decursu pendeat. Hoc multiplici corroboratum experientia, quamdiu plicae intactae relinquantur, tamdiu eadem correptos illaesa utplurimum gaudere sanitate, nec facile morbis inprimis contagiosis obnoxios reddi (*a*); id quod de equis, & canibus plicosis itidem notum, quos vulgus licet magis deformes, ex robore tamen maiori deamare solet. Retineat quamplurimi easdem plicas, nec auxilium, ut liberentur, petunt; sed mitra, vel capillamento obteguntur, aut si in maiorem molem excrevit plica, eam sacculo, a vulgo Germanico *Haaren Beutel* dicto, includunt. Interdum vero non sine metu infausti eventus plicam decidisse iam memini.

§. LXXVII.

Contagiosum morbum esse nemo inficiabitur, cui nota sunt exempla illorum, qui ex

(*a*) LEMBKE l. c.

decubitu in lecto cum plicosis, vel impositione supra caput ipsorum mitrarum, aut capillamentorum, vel horum pectine, morbum susceperunt. Sed alio loco (a) fusius de hoc dicendum.

§. LXXVIII.

Ratione curationis ad morbos maxime rebelles pertinet plica; nam ordinaria medendi methodo aliquando non paret. Qui vero asthenicis morbis, uti scorbuto, scabie, vel lue venerea laborant, si simul plicoso corripiantur morbo, periculosiora experiuntur symptomata, quae lethalem subinde exitum habent. Idem vero metuendum, si vitium organisationis in visceribus adfuerit.

(a) Vid. Commentationem tertiam.

INDEX OPUSCULORUM

In hoc tertio Volumine recussorum.

OPUSCULUM I.

OPUSCULUM II.

OPUSCULUM III.

OPUSCULUM IV.

Finis Voluminis III.